MONITA

ET

PRÆCEPTA

CHRISTIANA.

EDITIO ALTERA.

In Usum Regiæ Scholæ Etonensis.

LONDINI, apud C. Dilly.
ETONÆ, apud M. Pote.

MDCCXCVII.

Educ T 25397.97
Educ T 3747.97

1854. Dec. 7.
The Gift of
Mrs Sarah Campbell
the Sister of the
Rev. Prof. John S. Popkins D.D.

" Quicunque non exceperit regnum Dei,
" tanquam puerulus, nequaquam introibit in
" illud."

Hæc Chriſtus: Eamque ſimplicitatem, quam in recipiendis Chriſti documentis habere debent diſcentium animi, in iiſdem hîc explicandis ſecutus eſt libelli hujuſce auctor; qui rem, in ſe graviſſimam, cùm planiſſimam quoque efficere conaretur, non ſubtiliter, neque ornatè eam tractare, ſed pueris potiùs prodeſſe, quàm doctis placere, voluit.

I. De Officiis Christiani Hominis erga Deum.

CAP. I. De Deo in juventute cogitandum.
II. De Precibus.
III. De Gratiarum Actione.
IV. De Pœnitentiâ.
V. De Die Dominico.
VI. De Cœnâ Dominicâ.
VII. De Jurejurando.
VIII. De Blasphemiâ.

II. De Officiis Christiani Hominis erga Homines.

CAP. IX. De Justitiâ.
X. De Charitate, sive universâ Benevolentiâ.

XI. De

XI. De Humilitate.
XII. De Officio Filiorum erga Parentes.
XIII. De Homicidio.
XIV. De Mendaciis.

III. De Officiis Christiani Hominis erga Seipsum.

CAP. XV. De subjugandis Corporis Libidinibus.
XVI. De Temperantiâ in Cibo et Potu.

MONITA

MONITA ET PRÆCEPTA CHRISTIANA.

De Officiis Christiani Hominis erga Deum.

CAPUT I.

De Deo in juventute cogitandum.

I. *Primitiæ vitæ Deo dicandæ.* II. *Lex Judaica de sacerdotibus.* III. *Adolescentia ad pietatem exsuscitandam maximè accommodata, utpote non pravâ consuetudine vitiata.* IV. *Animi juvenum ad discendum proniores sunt.* V. *Ad veritatem admittendam aptiores.* VI. *Ex adolescentia bene transacta oritur felix senectus.* VII. *Objectio.* VIII. *Cui respondetur.* IX. *Altera objectio.* X. *Cui respondetur.* XI. *Tertia objectio.* XII. *Cui respondetur.*

I. UT * gregis, † frugumque primitias Deo quotannis dare lege Mosaicâ Israëlitis præscriptum est; ita nos juventutem nostram, vitæ scilicet primitias, ei dicare æquum est, à quo vivimus, spira-

* Exod. xiii. 2, 12. † Exod. xxii. 29. xxiii. 19.

mus, sumus. Quorsum adolescentiam viribus, formâ, ingenio ad res maximas percipiendum, memoriâ ad retinendum, instruxit Deus, nisi ut dotibus hisce uteremur in ipso laudando? quorsum pertineat ei vitæ fæces offerre, scelere atque criminibus exhaustæ? quasi ille turpissimis cupiditatibus, et nocentissimis deliciis posthabendus esset; quasi nullæ victimæ illius ad aram ducendæ, nisi cæcæ, claudæ, et mutilæ.

II. Jussit lex Judaica, ut veniret * Levita viginti et quinque annos natus ad militiam ministerii; ut verò quinquaginta annos natus non ampliùs ministraret; ibi enim vires, et corporis, et animi defloreſcere. Nonne æquum est, ut vis membrorum ei sit dicata, qui formavit ea, et composuit? utque mentis dotes, florentes adhuc et integræ, in eo contemplando exercerentur, qui iis dedit et intelligere, et sapere?

III. Quid, quòd adolescentia ad virtutem pietatemque exsuscitandam maximè accommodata est? Non enim eo tempore malâ consuetudine tantùm vitiatur animus, quantùm per longam annorum seriem scelere et nequitiâ contaminatus. Invisa primò vitia tandem fiunt perquam amabilia; † *donec iniquitas ut aqua imbibatur:* adeò ut quò diutiùs peccatum

* Num. viii. 24. † Job. xv. 16.

aliquod

aliquod tibi indulseris, eò sit deponere difficilius. * *An autem suam exuat Æthiops, aut maculas pardus? tum profectò etiam vos bene facere possitis, ad malè faciendum educti.* An adeò leve atque ludicrum videtur Dei gratia, ut quodvis tempus ad eam adipiscendam sufficiat? Nonne metuenda sunt ea, quibus te impediat peccandi inveterata consuetudo? Nonne vimen quàm arborem flectere facilius est, et obstare malis moribus, quàm eos evellere? Multa nos docent, summum in omnes consuetudinis esse imperium. Cùmque pravæ consuetudini se diù addixerint homines, vereor ut quoquo modo extirpetur peccandi mos; qui præter quod radices in pectoribus nostris altiùs agit, nos illecebris suis ad se trahit, et à pietate absterret. Constat igitur juvenes innocuos et nondum corruptos facilius se ad Deum recipere, quàm senes, vitiis quasi squallidos, et nequitiâ penitùs obsitos.

VI. Animi etiam juvenum ad discendum proniores sunt. Præclarè à † philosopho quodam dictum est, νεκρὸν ἰατρεύειν, καὶ γέροντα νουθετεῖν ταὐτόν ἐστι. Est enim in adolescentibus modestia quædam decens, unde dociles fiunt, quæ quidem in maturioribus rarò invenitur:

* Jerem. xiii. 23. † Diog. Laert.

vel quia jam se scire putent omnia; vel quia turpe credant, haberi rudes earum rerum, quas nescire dedecus est. Hinc discipulis suis dicit Christus; * *nisi animo essent subvisse, tanquam parvuli, in cœleste regnum non inituros:* nisi scilicet imitarentur parvulorum modestiam, animique humilitatem, ita ut ex ignorantiæ suæ conscientiâ dociliores fierent.

V. Utque ad discendum proniores, ita ad veritatem admittendam aptiores sunt mentes adolescentium, utpote quas præjudicatæ diu opiniones spinis et sentibus non obduxerint. Animus non diu vacuus jacebit; et si veri notitiâ non citò compleatur, pravis erroribus imbuetur. Mentem tempore et criminibus induratam flectere longè difficilius est, quàm molli atque cereo ingenio quæcunque pietatis et religionis signa inducere; adeò ut rectè dixerit propheta, † *Quem docebit scientiam, et cui proponet intelligendum documentum? Depulsis à lacte, avulsis ab uberibus.* Mollis enim et tener est juvenum animus, et ita flexibilis, ut sequatur, quocunque torqueas. Cum audîerit aliquid de morte, de judicio, de Christi vitâ et cruciatibus, ut palluit, erubuit, pudoremque cum mœstitiâ commistum testatus est adolescens; dum duro ore, at-

* S. Matt. xviii. 13. † Isa. xxviii. 9.

que vultu immoto ſedet ſcelere diu exercitatus, quaſi ſpei, timori, gaudio, luctui, miſericordiæ nequaquam penetrabilis!

VI. Ex adoleſcentia bene tranſacta oritur felix atque honorata ſenectus; et contra vita ſceleribus exhauſta tum graviſſima eſt, cùm ad finem appropinquat. Quam miſerum eſt ſenem, * *cujus oſſa implentur peccatis adoleſcentiæ*, dies præteritos reſpicere! Quid ſi etiam † *undecimâ horâ* reſipiſcat, Deuſque etiam tum veniam oranti non recuſet, quo tamen horrore pectus ſuum contemplabitur? quibus malis ſe circumcinctum videbit? quo pondere animus gravabitur? An veriſimile eſt Deum illum, quem tamdiu delictis ſuis delaſſavit, ei ultrò miſericordiam porrecturum, quin guſtet, quàm amarum ſit peccare? An mirum eſt, ſi Deus ille, quem vocantem toties contempſit, cujus à conſiliis et monitionibus ſe toties avertit, ſæpe eum fracto abjectoque animo precari patiatur priùs, quàm precanti clementer reſpondeat?

VII. ‘At grave eſt,’ inquies, ‘ut vitæ delicias, omneſque illico voluptates repudiemus? Quid vires nobis proſunt, ſi rerum earum, quas fert adoleſcentia, affinibus eſſe non licet? Undique nobis ſuppeditat

* Job xx. 11. † S. Matt. xx. 5.

‘vita,

'vita, quæ sensibus lenocinentur: jam sapiunt deliciæ; jam gustandis gaudiis sensus subtilissimi sunt; quorsum igitur nobis hoc consilium, senibus, quorum languent, et sopiti sunt affectus, accommodatius?'

VIII. An verò illæ voluptates, quarum sapor exquisitissimus, ipsis confitentibus, cum adolescentiâ marcescit simul, adeò ut iis sæpe superstites sitis, cum illis comparandæ sunt, quibus nec modus est, nec terminus? an vita, peccatis referta, quâ paucas horas fruimur, *quæque amaritudo in fine sit*, anteferenda est animæ tranquillitati, gaudii immortalis præsciæ? An denique operæ pretium est, ut brevium deliciarum prodigi emptores, potiùs vos suppliciis æternis objiciatis, quàm evagantes animorum affectus cohibeatis, et reprimatis?

IX. 'At non libet ab aliis ita dissentire, ut quâ ætate cæteri se voluptatibus ingurgitant, omnibus probántibus, à societate, cœtuque lætantium, nos disjungamus. Cuique ætati sua sunt studia: juventæ voluptates, senectuti pœnitentia: tum profectò decebit parcè et religiosè vivere, cùm sensus nostros ætas hebetaverit, et ea repudiare docuerit, quibus ampliùs potiri non licebit'

* 2 Sam. ii. 26.

X. Quid

X. Quid verò? num in perniciem ruere cum pluribus optabilius, quàm cum paucis eam evitare? num virtuti, et felicitati, vitium, miseriamque, anteponetis, quia * *via quæ ad vitam ducit angusta et parum calcata, quæ ad exitium lata et trita est?* Et quia sunt qui potiùs indulgent delictis adolescentium, quàm ea culpant, aut reprimere conantur, (partim quia putant esse eos animi instabilis, et plurimùm voluptatibus deditos; partim quia homines provectiore ætate, immotis oculis sua respicientes, facilè aliorum peccatis ignoscunt;) idcircone iis peccare licitum est? Num ratio, num sacræ scripturæ juveni concedunt, ut impunè sit nequam? an ullo vitæ tempore peccare fas est? annon semper fugiendum est scelus, tam adolescentiâ quàm senectâ? An optimum vitæ tempus criminibus conteres, quasi Deus eo sit indignus?

XI. 'At Deus, cujus maxima est clemen-
'tia, nos in vineam suam etiam ultimâ horâ
'recipiet; et spes est adhuc feliciter moritu-
'ros, qui pessimè vixerint.'

XII. Absit, ut infinitam Dei misericordiam cohibere, aut circumscribere enitamur! At nolite profectò vitæ melioris spem in ultimam

* S. Matt. vii. 15.

hujusce

hujusce horam differre. Quî enim scitis quàm citò Deus vos ad judicium vocet? Multi vobis, nec robore, nec ingenio, nec re, nec genere inferiores, in ipso adolescentiæ flore succisi sunt. Multos peccatis suis obrutos ingurgitavit orcus; multis ad pœnitentiam ne hora quidem data est. Nec rarò accidit, eos, qui Deum deseruerunt et contempserunt, à Deo desertos et contemptos vivere.

CAPUT II.

De Precibus.

I. *Si Deus sit, orandus est.* II. *Orantem peccata confiteri necesse est.* III, IV, V, VI. *Qualia à Deo sint oranda.* VII. *Orandum enixè.* VIII. *Quoties orandum sit.* IX. *Quo modo.* X. *Pharisæus et Publicanus.* XI, XII. *Cavendum ne orantes animis abertemus.* XIII. *Preces sunt aut privatæ, aut publicæ.* XIV, XV, XVI. *Mala quæ à contemptu publici cultûs orta sunt.* XVII. *Christianos præcipuè oportet congregatos precari.* XVIII. *Et in Dei templo se decenter gerere.*

I. QUI Deum esse concedit, is orandum eum, colendumque concedat oportet. Qui enim nos fecit, cujus de benignitate

benignitate atque potentiâ, pendet res noſtra, ſalus, vita, huic profectò ſupplicandum eſt, ut bona omnia nobis largiatur, mala omnia à nobis avertat; ſed præſertim, ut iis omnibus ignoſcat, quibus aut ſcientes, aut inſcientes in eum peccavimus.

II. Qui, ut delictis ſuis ignoſcatur, Deum orat, ea ut confiteatur, neceſſe eſt. Nec hoc ſolum, ſed pudorem etiam, cum mœrore commiſtum, animo ſuo fovere debet; ubi hoc non fit, linguâ, non corde, peccâſſe ſe fateatur.

III. Quicquid aut animis, aut corporibus noſtris ſit utile, id, cùm à Deo unicè pendeat, à Deo rogandum eſt. Primùm itaque peccatis venia petenda eſt, non noſtro, ſed Chriſti nomine, cujus ad Deum nobis conciliandum effuſus eſt ſanguis. Orandum inſuper Sancti Spiritûs auxilium, omneſque illæ virtutes, ſine quibus Chriſtianis verè fieri non licet, charitas, animi humilitas, juſtitia, caſtimonia, fides.

IV. A Deo aliquid petiturus, tecum ſemper reputes, cui peccato præ aliis deditus ſis; ſi hoc ex animo amovere poſſis, id demum erit ſeriò triumphare. Si ſuperbus ſis, animi humilitatem; ſi libidinoſus, caſtimoniam petas: cæteraſque virtutes, prout tibi iis opus ſit.

V. Orandum etiam pro corporibus noſtris; non pro divitiis, aut voluptatibus iis quæ in

malum ducant, sed pro firmâ valetudine præcipuè, proque iis quæ ad vitam necessaria sunt; quo modo nobis præcepit Christus, * *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

VI. Nec ut bona solùm impertiat, sed ut mala à nobis avertat, Deo supplicandum est: quæ mala vel ad peccata spectant, vel ad supplicium. Oremus itaque, ut ab omni scelere tutos nos præstet, nec in tentationem induci sinat: oremus etiam, si quid pravi fecerimus, ne nos graviùs castiget; præcipuè autem ne favorem suum à nobis penitùs amoveat, et æternæ pœnæ damnatos relinquat.

VII. Cum de animâ tuâ agitur, precibus enixè Deum adeas, nec si non statim votis annuerit, etiam atque etiam precari desinas. In te descende; mentem tuam concute; ibi scrutare, quænam sit causa, cur à Deo indonatus abeas; vide si non ipse tuis votis obstes. Rogas fortasse, ut aliquod tibi peccatum expugnare concedat, ipse interea ignavus, atque iners; imò et ultrò ac lubenter deditus. Si hoc fit, parum valebunt preces tuæ; id enim à Deo precaris, quod ipse, ut tibi det, non finis.

VIII. Roget aliquis, *quoties* sit opus, ut Deo se precibus commendet: id profectò ex

* S. Matt. vi. 11.

loco,

loco, tempore, ætate, vitæ conditione, pendet. A neceſſariis negotiis plus aliis, quàm aliis, vacat. Ne verò quis id temporis voluptati, nedum ſceleri concedat, quod precibus negat; nec priùs aliquis ad ſomnum ſe veſpere recipiat, quàm, ut à nocturnis periculis liberetur, Deum oraverit; nec diurnum opus mane ſuſcipiat, donec lucis auctorem coluerit. Annon eum dementem atque inſanum putes, qui, quicquid vellet, habere illico poſſet, ſi modò id ab amico rogaret, nec rogaret tamen? Eodem furore et ipſe corriperis, ſi non Deum, omnium amiciſſimum, frequenter accedas, quicquid tibi proſit, ab eo accepturus.

IX. Nec verò tam refert *quoties*, quàm *quo modo* preceris. Cavendum itaque eſt, ne quid rogemus, quod rogare nefas; ut divitias, aut potentiam ad libidines pravas explendum, aut damnum dedecuſve eorum, quibus iraſcimur. Fidendum eſt etiam, ſi rogamus eo more quo decet, Deum id nobis donaturum quod petimus. Orandum eſt denique animo ſubmiſſo atque humili, non noſtris ipſorum, quo modo Phariſæus ille, ſed Chriſti meritis freti.

X. * *Ibant duo homines ſimul ad templum oratum, hic Phariſæus, ille Publicanus. Stetit Phariſæus ſeorſum, et ita dixit: ‘ Gratias tibi ago, ‘ Deus, quòd non ſim, ſicut alii homines, injuſti, ra-‘ paces, mœchi, aut etiam ut iſte Publicanus. Sep-*

* S. Luc. xviii. 10.

' tem diebus bis jejuno: decimo quæcunque possideo.' Publicanus interea procul stans, ne oculos quidem ausus ad cælum tollere, pectus percussit, dixitque, ' Deus, miserere mei peccatoris.' Dico tibi, inquit Jesus, ad domum suam descendisse hunc justificatum potiùs illo: quicunque enim se evehit, deprimetur; quique se deprimit, is evehetur.

XI. Animo etiam maximè attento opus est; quòd si linguâ solummodò præscripta quædam verba effundimus, mente in terras defixâ, hoc profectò est, Dei majestatem contemnere, * *eumque labiis honorare, cùm cor ab eo procul absit.* Et quàm immanis est stultitia, cùm de corporibus animisque nostris agitur, futiles aliquas levesque nugas persequi, Dei illius, quem alloquimur, penitùs immemores?

XII. Hoc ne fiat, nobiscum etiam atque etiam cogitemus, quantus sit ille, quem adimus; nec audeamus, eo præsente, aliis rebus, aut hominibus vacare. Putemus quid sit id, quod rogamus; quo accepto, felices, negato, miseri erimus in æternum. Cordi igitur tuo invigila, et si quid alieni ibi locum habeat, id honestâ indignatione rejice.

XIII. Preces Deo offerimus, aut à cæteris secluſi, nullo vidente, aut publicè, inter reliquos Christianos: quorum utrumque maximè necessarium est. Si enim in templo tantùm, non

* S. Marc. vii. 16.

in

in domo quoque, Deum adimus, non ab eo, ſed à laudibus hominum, præmium nobis expectatur. * *Introito igitur in conclave tuum, et clauſo oſtio tuo precare Patrem tuum in occulto, et Pater tuus, qui te aſpicit in occulto, reddet tibi palam.*

XIV. Quòd ſi clàm ſolùm, nocte et tenebris defenſi, ut Jeſum Nicodemus, ita nos Deum adiremus, nec quiſpiam auderet palam eum affari, ex animis hominum, cùm non publico auxilio inniteretur, citò excideret timor, et cultus Dei. Si inter ſylvas deliteſcat religio, dum in ſole atque pulvere ſpatiatur ſcelus, parum argumentis opus eſt, quæ probent, exinde citò oriturum contemptum Dei, moreſque perditos ac diſſolutos. Timor iſtius Dei, quem nec dolus poteſt fallere, nec vis flectere, ad bene beatèque vivendum, apprimè neceſſarius eſt; et uniuſcujuſque eſt officium timorem hunc non ſolùm in animo ſuo fovere, ſed in aliis excitare; quod quidem publicis precibus fieri optimè videtur; nec ſecretò Deum adibunt ii, qui publicè non colunt.

XV. Cultu Dei amoto, quid potentiores comprimet, niſi dedecoris, quid humiliores, niſi ſupplicii timor? Parum autem hæc valebunt; quem enim vitæ ſuæ tædet, ei in alterius eſt imperium. Quid enim prohibet, quo minùs ei, quem odit, necem intentet? Æ-

* S. Matt. vi. 6.

terni

terni supplicii timor? at id non timet. Turpisne igitur et protractæ mortis? hanc vero facillimè vitet, mortemque sibi ultrò consciscat. Quid igitur est aliud, ex animis hominum religionem tollere, nisi in felices, in divites, in bonos, genus perditissimum, miseros et desperantes immittere? Malè profectò nobis esset in hâc vitâ, si de aliâ nihil innotesceret.

XVI. Sæpenumerò à plurimis observatum est, legitimæ omnis auctoritatis contemptum, notam esse huic sæculo præ aliis inustam: filios parentibus, servos magistris, discipulos præceptoribus suis, nec obedire nec obsequi. Quis verò hoc miretur, cùm sint, qui vix, aut ne vix quidem, *illius* auctoritatem agnoscant, unde in parentes, in magistros, in præceptores, auctoritas omnis derivatur? Ex malo patriciorum exemplo oritur plebis nequitia: neque enim celari potest, eos à publico Dei cultu maximè se abstrahere, quorum studio ad propagandam religionem maximè est opus; quique Deo, pro omnibus hujus vitæ, quibus diffluunt, deliciis, gratias debent, eas nequaquam solvere. Hinc à principibus derivata mala, in patriam, et in populum fluxere.

XVII. At verò nos Christianos publicis precibus uti, et congregatos precari, jussit is, cujus de nomine nos appellamus. Nec in toto terrarum orbe exemplum extat Christianæ alicujus

alicujus ecclesiæ, quin in eâ administrentur sacramenta, Deusque publicè atque apertè colatur. Imò inter acerbissimi cruciatûs timores prepetuos, ad precandum coïerunt Christiani; quique, ut vitam servaret, à publico Dei cultu aberat, eo nomine indignus putabatur.

XVIII. Restat ut pauca dicam, quibus vos moneam, quàm audax sit et improbum eo in templo, quod ipsi Deo dicatum est, inter publicas Christianorum preces, indecori aliquid committere. Si coram principe, aut rege aliquo esset, quis est è vobis, qui non gereret humilem se, et submissum? Deone igitur præsente id facere audebitis, quod coram homine non audetis? Eum profectò toto animo, toto corde adorare ipsi debetis; at saltem ne in alienas preces, qui forsan pro vobis ipsis Deum precantur, irruatis. Ridere, colloqui, reverentiâ, aut in gestu, aut in oculis carere, præsertim libros ad delectandum animum, ad horam fallendam, et à cultu religioso prorsùs alienos, fortasse etiam immodestos atque indecoros perlegere, quid est nisi Deum contemnere, sanctasque cæremonias irridere? Cavete, cavete, obsecro vos atque obtestor, per amorem illum, quo animas vestras amatis, ne quid vobis indignum committatis: Christianos esse vos recordamini. Frequens

quens vobis est occasio Deo vos commendandi: ne frequentibus istis occasionibus abutamini; nec quod in salutem vestram datum est in perniciem convertentes, nocentiores vos faciatis.

CAP. III.

De Gratiarum Actione.

I. *Gratiæ Deo agendæ.* II. *Quia nos creavit.* III, IV. *Quia conservat.* V. *Quia à peccatis nostris redemit.* VI. *Inter omnia officia nullum hoc illustrius.* VII. *Nullum jucundius.* VIII. *Nec quod nos magis elevat.* IX. *Ex hoc officio oritur animi humilitas.* X. *Et adulationis contemptus.*

I. UT Deo pro speratis beneficiis supplicare, ita pro acceptis gratias agere oportet. Quis enim aliquid petit, quin ei, à quo impetravit, se gratum præbeat?

II. Quicquid sumus, quicquid possidemus, quascunque aut hujusce vitæ delicias, aut melioris spes fovemus, à Deo hæc omnia procedunt. Primùm itaque uno ore, unoque animo, eum laudemus, qui è nihilo nos

formavit, contemptoque pulveri divinæ auræ particulam afflavit. Nos, qui cogitamus, qui ſapimus, qui ſuperbimus, id fuimus, quod in triviis lutum eſt. Nobis ſpiritum, nobis ſenſum, nobis animum ad altiſſima evehendum, dedit Deus. Ille artus noſtros è brutâ materiâ compoſitos immortali mente inſtruxit, cœlumque nos ſperare juſſit; eum itaque adeamus, quanta acceperimus, confitentes; eique, qui nos formavit, quod poſſumus, referamus, non beneficia, ſed laudem atque honorem.

III. Utque nos formavit, ita formatos quotidie ſervat, rerum ille terreſtrium, cœleſtiumque Creator. Parum eſſet nobis vitam dediſſe, niſi vitæ iſti invigilâſſet. Per imbellem infantiam, per lubricam juventutem, per infirmam ſenectam, idem, qui nos fecit, et ſervat, Deus; hinc ab innumeris iſtis, quibus vita humana laborat, malis liberamur; * *nec nocturna nobis nocet ſagitta, nec quæ interdiu graſſatur peſtilentia.*

IV. Nec laudandus eſt ſolùm propter hæc, quæ omnibus pariter largitur Deus, ſed ſi quid boni tibi præcipuè acciderit, gratiæ à te præcipuæ debentur: ſi è dolore ſcilicet, è morbo, præſertim è peccato aliquo ſalvus evaſeris.

* Pſal. xci. 6.

V. Quæ verò sunt ea bona, quæ ad hanc vitam spectant, si cum iis comparentur, quibus felicitas æterna, atque immortalis nobis parta est? Si laudandus sit Deus, quòd formaverit nos, & formatos servet; quantæ ei gratiæ debentur, qui à suppliciis meritis nos redemerit, Filiumque suum unigenitum morti acerbissimæ subjecerit, ne nos in æternum miseri essemus.

VI. Ut solem, lunam, sidera, immotis oculis aspicimus, quia semper lucent; ita quotidiana à Deo accepta beneficia faciunt, ut eorum obliviscamur. O miseri, atque ingrati homines, qui eò minùs Deum laudatis, quò plura ab eo acceperitis!

VII. Inter omnia hominis officia, gratiarum actione nihil illustrius, nihil præstantius. Postquam mundum formaverat Deus, omnesque ejus partes, pondere, numero, mensurâ, sibi invicem aptas, et congruentes concinnaverat, defuit adhuc, qui pulchritudinem, qui ordinem, qui delicias immensæ istius machinæ intelligeret, quique à contemplando dono, ad auctorem ejus se erigens, debitis eum laudibus extolleret. Aliæ quidem partes religiosi cultûs, *confiteri* scilicet, et *orare*, quorum unum è peccatis, alterum ex egestate oritur, non hominis erant innocentis,

tis, et nondum lapsi: quòd si incontaminatus adhuc vixisset, bona hujus vitæ percepisset, proque iis Deum tantùm laudâsset. Sed criminibus imbuto, et ad inopiam redacto, necessariæ sunt preces; cùm in paradiso primùm, nihil præter laudes exaudîtum est, nec postea in cœlis exaudietur.

VIII. Quid quod *jucundissimum* hoc officium est, ex animi hilaritate deductum. * *Laudate Dominum, quia bonum est psallere Deo nostro, imò amœnum et decens est laudatio.* Precari, et peccata fateri, indigorum, et nocentium est, † *Si quis dolet, precetur*; at *si quis hilaris est, in hymnos erumpat. Saturantur enim piorum animi quasi adipe, et pinguedine, cùm labiis canoris Deum laudant.*

IX. Animi etiam facultates elevat, atque incendit, Deum laudare; et à rebus contemptis ad eum erigit, qui naturam atque excellentiam ipsius, quod possunt, investigantibus, quasi detegere se, et explicare videtur. Hominem homini longè præstare, quis est qui non intelligit? Unde autem oritur ferè hæc præstantia? quia hic scilicet de vilibus, et nullius pretii rebus, cogitationes suas exercet; dum illum juvat ad sublimiora, et diviniora

* Psal. cxlvii. 1. † Psal. lxiii. 5.

mentem evehere. Si igitur, quò præstantius sit id, ad quod contemplandum se erigit animus, eò fit elatior, et, ut ita dicam, divinior; quàm cæteris illum præcedere oportebit, qui quasi cum Deo quotidie colloquium init, eumque laudare, atque adorare, nunquam desinit?

X. Ex hoc officio oritur indignatio gravissima, si quid de Dei nomine parum reverenter, aut indecorè dictum sit. Oritur etiam animi humilitas, et de nostrâ imbecillitate rectum judicium.

XI. At verò maximum iis est commodum, qui Deum laudare soliti sunt, quòd hominibus adulari semper metuant. Omnes eloquii deliciæ, omnes sermonis lepores, in principibus laudandis exhauriuntur; et quicunque ab iis aliquid expectant, in cœlum eos evehunt; unde aliorum omnium, et sæpissime etiam ipsorum, quos laudant, contemptum in se devocant. Qui vero homines adorant, Deum eos non adorare, haud injustè dicas; qui profectò omnium sunt stultissimi: turpiter enim eos colunt, qui nec volunt, nec possunt, ipsis benefacere, eo relicto, cui omnia debent, cuique adhuc, quæ quidem bona dicantur, omnia debituri sunt.

CAP.

CAP. IV.

De Pœnitentiâ.

I. *Pœnitentia neceſſaria ad Chriſti præcepta excipienda.* II. *Virtus verè Chriſtiana.* III. *Quotidie pœnitendum.* IV. *Et ſtatis temporibus.* V. *Præcipuè cùm morbis aut calamitate laboramus.* VI. *Non ad mortis tempus differenda pœnitentia.* VII. *Quæ quotidie ſit difficilior.* VIII. *Orandus eſt Deus ut nos ad pœnitentiam impellat.* IX. *Mali principiis obſtandum.* X. ad finem. *Hiſtoria Davidis.*

I. CUM ad parandos hominum animos, quò faciliùs præcepta à Chriſto tradenda haurirent, in terras venit celebris ille Meſſiæ præcurſor, *Pœnitentiam agite*, inquit, *et reſipiſcite; appropinquat enim regnum cœlorum.* Novit profectò plurimis delictis, omnes, qui audîerunt, laborâſſe; nec potuiſſe novi fœderis participes fieri, donec ea pœnitentiâ eluiſſent.

II. Hæc virtus, ſi quæ alia, verè Chriſtiana eſt. Peccatis rejectis, ad Deum nos convertere, mala omnia ex animo evellere, eaque exſequi officia, quæ nobis ipſe præſcripſit, id demum

demum est, resipiscere; quod quidem adeò necessarium est, ut sine eo nulla veniæ, aut impunitatis, sit spes; dixit enim Christus, *Nisi resipiscatis, omnes peribitis* *.

III. Quòd si quis roget, Quoties agenda sit pœnitentia? Quoties pecces, respondeo? quod vereor ne fiat quotidie. Imitemur itaque exemplum clarissimi istius imperatoris Romani, qui nunquam ad dormiendum se priùs recepit, quàm quicquid fecerat, quicquid dixerat, quicquid cogitaverat eo die, secum expendisset.

IV. Ut verò, qui rationes suas diurnas computant, aliquod sibi tempus præscriptum habent, quo eas ad examen exactius revocent; sic nos oportet, non modo diei cujusque delicta, eo finito, percurrere, sed quædam etiam tempora seponere, quibus omnia, quæcunque per totum vitæ cursum peccavimus, ita confiteamur, ut eorum nos verè pœniteat.

V. Sed præter stata hæc tempora, sunt et quædam huic officio maximè accommodata, qualia sunt, si quis morbo, aut gravi aliquâ calamitate laboret. Si quis nuncius à cœlo missus, ne quid contra officium tuum faceres, te moneret, annon ei auscultares? an potiùs monentem contemneres? quod tamen facis, quoties à miseriâ aliquâ oppressus, ad virtutem et pœnitentiam non te revocas.

* S. Luc. xiii. 3.

VI. Est

VI. Eſt et aliud pœnitentiæ tempus; moriendi ſcilicet hora; quæ quidem ad renovandum id officium, quàm ad incipiendum, accommodatior eſt. Quanta dementia eſt, animi felicitatem in eo reponere, in quo vix aliquid minimi reponeres? Rogare enim velim, Si morienti tibi ea dolere propoſitum ſit, quæ in Deum ſanus commiſiſti, unde ſcias tibi etiam hoc facere licere? Nonne horæ momento inſperantes, inopinantes, è vitâ eripimur? Quod aliis accidit, id tibi ne accidat, cavere potes? At verò ſi morbus aliquis, mortis et miniſter et nuncius, eam tibi inſtare præmoneat; fieri tamen poteſt, ſicut alii ægroti, ut te fallas, et licet ſenſim moriaris, non tamen ad moriendum paratus ſis. Quòd ſi hoc non fiet, teque propero pede ad ſepulchrum accedere planè videbis; unde tamen ſciri licet tibi ad pœnitentiam paratum animum fore; quæ quidem non nobis inſperantibus ſemper inſervit, ſed à Dei Optimi Maximi gratiâ procedit.

VIII. Quid, quòd peccandi conſuetudo, quò diutiùs pectore inveteravit, eò difficilior erit expulſu. Si quidem reſipiſcere, nihil aliud eſſet, quàm à peccatis abſiſtere, tum profectò ei aptiſſimum eſſet moriendi tempus, cùm peccandi poteſtas non jam relinquitur.

Cùm

Cùm verò, et odium delictorum, et Dei amorem, in se continet pœnitentia; an verisimile est eum, qui vitium semper amavit, quique virtutem aversatus est, adeò horæ momento mutari, ut id, quod amavit, vitium oderit; eamque, quam odit, virtutem amplecteretur?

VIII. Optandum profectò esset, eam nobis à Deo immortali mentem fuisse datam, ut à peccatis penitùs abstineremus. Cùm verò ea naturæ humanæ est imbecillitas, ut etiam optimi sæpissimè peccent, oremus eum ut ad maturam pœnitentiam nos incendat; cujus gradus sunt, primùm confiteri delicta, deinde dolere, postremò ab iis converti.

IX. Cavendum autem, ne scelus scelere cumulantes, onus pœnitentiæ faciamus gravissimum. Id ne fiat, mali principiis obstandum. Qui semel unam culpam commisit, ad aliam committendam est proclivior. Utque ære alieno laborans delicias sibi pretiosiores indulget, et in eas se angustias præcipitat, unde evadere nequit; ita qui semel virtutis detrimentum fecit, paulatim audacior, ea demum apertâ luce perpetrat, quæ anteà etiam in tenebris meditari reformidavit. Qui se cupere aliena patitur, nec cupiditati isti obstare conatur, is furti erit et latrocinii affinis: quique videndâ fœminâ oculos suos quotidie pascit,

paſcit, aut obſcœnos ſermones deblaterat, mirum ne quondam adulterio ſe contaminet. Nemo fuit repentè turpiſſimus; ad extremum ſceleris paulatim itur; at verò progredienti planior et facilior fit via; tandemque eo impetu impelleris, ut omnibus utens viribus, omni conamine, vix poſſis conſiſtere.

X. Quo modo ſcelus ſceleris ſit parens, utque nefas cumulatiſſimum vera pœnitentia abolere poſſit, docet clariſſimus iſte Iſraëlitarum Rex, cujus hiſtoriam breviter recenſere non alienum erit.

XI. * *Surrexit è lecto Jeſſides, veſpere jam adventante, et in faſtigio domûs ſuæ obambulabat. Exinde fœminam pulcherrimam ſe lavantem conſpexit. Nonne, inquit, hæc Bathſheba eſt, Uriæ uxor? Agite, dicite ut huc veniat. Venit itaque, filiumque ex eo concepit.*

XII. En magnum exemplum ſceleris, atque incontinentiæ! Uxorem alienam vitiavit ille, cujus erat omnium civium ſuorum poſſeſſiones tutas, atque inviolatas præſtare. Quid autem? an Uriæ poſtea uxorem ſuam tradidit? Audite, quæſo, à nequitiâ ad nequitiam quàm facilis ſit via. Urian è prælio arceſſivit, eique literas dedit Joabo imperatori

* 2 Sam. xi. 2.

committendas, quibus mandatum est, ut Uriam in fronte exercitus, ubi acerrime dimicaretur, ita collocaret, ut vix fieri posset, quin mortem obiret. En igitur scelus perfectissimum! Civi fidissimo, et fortissimo militi, qui pro se vitæ periculum quotidie imibat, non modò uxorem, sed vitam eripuit. Adulterio fœdatus homicidium non reformidavit.

XIII. **Venit postea ad eum Nathan, dixitque,* ‘ *Erant in eadem civitate duo homines, hic dives,* ‘ *ille pauper. Diviti multa erant armenta,* ‘ *multi greges: pauperi nihil quod suum vocare* ‘ *posset, præter unicam agnam, quam ipse emerat,* ‘ *suâque manu nutrierat. Cum pueris acrevit* ‘ *simul; ipsius ex mensa edebat; ipsius ex poculo* ‘ *bibebat; ipsius in gremio decumbebat; eratque* ‘ *ei pro filiâ. Ecce autem viator ad divitis domum* ‘ *venit, qui suis gregibus, suisque armentis par-* ‘ *cens, unicam agnam suam pauperi eripuit,* ‘ *cibumque hospiti apposuit.*

XIV. *Vehementer iratus David,* ‘ *Qui hoc,* ‘ *inquit,* ‘ *fecit, is certò morietur; et pauperi qua-* ‘ *druplum insuper restituet, quia animo erat im-* ‘ *misericordi.*

XV. Quas autem eum cogitationes in animo fovisse, quâ solicitudine distractum fuisse putemus, cùm prophetam audîit dicentem,

* 2 Sam. xii. 1.

“ *Tu*

'Tu ille es.' Ita inquit Dominus Deus Israëlitarum, 'Ego te regem oleo inunxi, teque Sauli è 'manibus liberavi. Tibi domini tui ædes, tibi 'in gremium uxores ejus, tibi domum Israëlis, et 'Jehudæ tradidi. Cur igitur Dei præcepta con-'tempsisti, eoque vidente, malum hoc feciſti? Uriæ 'uxorem ſuam abſtuliſti, ipſumque gladio Ammoni-'tarum necuiſti.'

XVI. Quo audito David cohorruit; cineribus ſe involvit, fracto ex animo ſuſpiria effudit, et graviſſimo mœrore oppreſſus, *In Deum*, inquit, *peccavi*. Dixit ei Nathan, 'Quo-'niam eorum, quæ feciſti, te verè pœnitet, Deus 'à te pectata tua amovit; non morieris.'

CAP. V.

De Die Dominico.

I. *Officiorum duo genera.* II. *Obſervandum Sabbatum in memoriam Dei Creatoris.* III. *A Judæis obſervatum in memoriam liberationis ex Ægypto.* IV. *Utque tempus ad quieſcendum mercenariis, et pecori eſſet.* V. *Quo modo Sabbatum obſervare Chriſtiani ſit officium.* VI. *Dies à Chriſtianis mutatus.* VII, VIII. *Quid facere eo die deceat.*

I. QUicquid juſſit Deus, id hominibus faciendum eſt; et, utcunque per ſe nobis neceſſarium non videatur, eo mandante,

fit officium. Hinc officiorum duo sunt genera, eorum scilicet, quorum vim atque efficaciam per nos ipsi intelligimus, qualia sunt, justitia, misericordia, Deum esse credere, eumque adorare; et eorum, quæ idcirco sunt observanda, quia ille, cujus summum est in suos imperium, ea observari voluit; qualia sunt festa, cæremoniæ, et alia quæ ex arbitrio suo ipse nobis proposuit.

II. Inter hæc primum locum sibi vindicat Sabbati observatio; eo enim præcipuè die, et contemplari et commemorare jubemur rerum omnium auctorem. * *Sex enim diebus fecit Deus et cælum, et terram, et maria, quæque in iis sunt omnia.* Parum refert, quantum temporis elapsum fuerit, dum è chao exsurgere pulcherrima hæc omnia mandaret. Ei enim tam facile fuisset horæ momento hæc fecisse, quàm sex diebus, apud quem † *unus dies est ut mille anni, et mille anni ut unus dies.* Cùmque dicimus septimo die *requievisse Deum*, non inde significamus labore aliquo opus hoc Deum confeciſſe, sed solummodo tum terminatum, et ad finem perductum fuisse.

III. Israëlitis in solitudine errantibus hoc præceptum deinceps datum est; cujus præter eam, quam modò diximus, alia erat causa.

* Exod. xx. 11. † 2 Pet. iii. 8.

Remi-

* *Reminiſcere te ſervum fuiſſe in Ægypto, teque Dominum Deum tuum inde extuliſſe, manu potenti, et extento brachio; Deus itaque, Deus tuus, juſſit te ſabbatum obſervare.* Hinc apud Hebræos † qui vel ligna collegit in Sabbato, occidebatur.

IV. Eſt et alia cauſa hujus præcepti, ut mercenariis, ſervis, imò et ipſis bobus, tempus ad quieſcendum detur. ‡ *Septimo die quieſces, ut bos et aſinus tuus quieſcant, et filius ancillæ tuæ, atque hoſpes reficiatur.* Ubi obiter notandum eſt, Deum, § *ſine cujus juſſu ne paſſer quidem ad terram cadit,* pecori etiam et gregibus invigilare; ſcilicet ut doceat homines mitis eſſe, et manſueti ingenii, juſtumque oportere, vitam etiam jumenti ſui curare.

V. His præmiſſis, non difficile erit intelligere, quo modo hoc Chriſtiani ſit officium. Quod Judæis in eremo mandatum eſt, nempe ut quiete, atque otio, ſuam à jugo Ægyptiaco liberationem agnoſcerent, ei genti unicæ præſcriptum erat: hoc igitur ‖ S. Paulus inter eas leges enumerat, quæ aliis populis minimè neceſſariæ eſſent, de cibis ſcilicet, et potu, de noviluniis, diebuſque feſtis. Unde Chriſtus de Sabbato id dicit, quod de plurimis aliis

* Deut. v. 15. † Num. xv. 32. ‡ Exod. xxiii. 12.
§ Matt. x. 29. ‖ Coloſſ. ii. 16.

præceptis

præceptis dici non posset, * *filium hominis dominum esse etiam Sabbati.* Quod verò ad publicum Dei cultum, qui nobis hæc omnia fecit, quod ad nos, alioſque ea docendos, quæ malum est nescire, quod ad quietem mercenariis, servis, pecorique concedendam attinet, hoc profectò et æternum et immutabile, æquè omnibus est officium: quique perpetuâ virtutis exercitatione, per omnem vitæ cursum ea faciunt, quæ Deo gratissima sunt, quotidianum hi Sabbatum observare verè dicantur.

VI. A Judæis septimus dies, à nobis, primus colitur. Ut enim illi diem præ aliis honoratum habebant, quo à gravi servitute post longam annorum seriem liberati erant; ita nos eum præcipuè veneramur, quo à mortuis resurrexit is, qui à pessima servitute animos nostros redemit, nosque in æternam libertatem vindicavit; unde diem hunc S. Joannes † *diem Dominicum vocat.*

VII. Hoc præcipuè die templum Deo dicatum adire oportet, peccata nostra confiteri, eumque suppliciter orare, ut bona omnia precantibus ea, aut non precantibus, largiatur, atque mala etiam à precantibus avertat: cum cæteris Christianis

* Marc. ii. 28. † Apocalyp. i. 10.

congregatis

congregatis religionem noſtram publicè profiteri; et in cœtu credentium ſociatis precibus Chriſtum appellare: eos inſuper audire, quibus interpretari ſacras ſcripturas commiſſum eſt: domi etiam, de iis, quæ ad animas noſtras maximè pertinent, meditari decet; aut legere aliquid, quo mentis affectus emendentur, et à terreſtribus ad cœleſtia evehantur. Nec colloquium inire, de Dei benignitate, de Chriſti morte, de judicio, de vitâ æternâ, aliiſque quæ in animos imperium habent, labor erit irritus; ſic enim, rebus divinis aſſueti, inferiora omnia deſpicere paulatim ediſcemus, et ea metuemus facere, de quibus vix loqui audemus.

VIII. Non tamen, ut quidam putant, mores ſeveros, et auſteram Sabbati obſervationem expoſcit Deus. Quicquid culpâ caret, id quovis die licitum eſt; nec ab hominibus nos abſtrahere oportet, et non vacare amicitiæ officiis. At verò rixas, aut jurgia ciere, ſermones indecoros, viroque et Chriſtiano indignos inire, à publico colentium cœtu ſine licitâ causâ ſemper abeſſe, aut ea officia in hunc diem transferre, quæ aliis fieri oportet, hæc omnia officio noſtro repugnant; utque brevi complectar, quicquid factum profanis diebus ſcelus, id Sabbato factum ſceleſtius eſt.

CAP.

CAP. VI.

De Cœnâ Dominicâ.

I. *Hortatio ad celebrandam cœnam Dominicam.* II. *Institutum perpetuum esse.* III. *Officium esse omnium Christianorum huic mensæ frequenter adesse.* VI. *Ex hoc officio pendere omnia evangelii beneficia.* V. *Quod negligere animi est ingratissimi.* VI. *Deterrentur homines ab hâc mensâ, ne eam adeant indignè.* VII. *Amoventur isti timores.* VIII. *Tantum periculi est ex neglecto hoc officio, quantum ex indignè cœnam Dominicam accedendo.* IX. *Si scelere inquinatum à mensâ hâc abesse oportet, tum etiam oportet eum omnem Dei cultum projicere.* X. *Respondetur iis qui sacramenti hujus participes esse metuunt, ne, quæ postea committant peccata, veniâ careant.* XI. *Quo more necesse sit animos expurgare.* XII. *Quid Corinthiis imputârit Apostolus.* XIII. *Parendum Christo, qui dixit,* ' *Hoc agite mei memores.*' XIV. *Deo gratiæ agendæ quandocunque nobis oblata est occasio hanc mensam adeundi.* XV. *Digni sumus irâ Dei, si oblata beneficia repudiemus.*

I. DE cœnâ Dominicâ dicturus, ad eam celebrandam vos exsuscitare enitar, vobis quàm brevissime proponendo,

1. Inſtitutum hoc *perpetuum* eſſe; id enim vult S. Paulus, ubi dicit, * *Quotieſcunque ederitis hunc panem, et hoc poculum biberitis, mortem Domini enunciatis, uſque dum redierit.*

2. Officium eſſe omnium Chriſtianorum huic cœnæ frequentiſſimè adeſſe, quod hoc verbo innuit Apoſtolus, *Quotieſcunque.*

3. Eos amovendo timores, qui in mentibus etiam piorum ſæpiſſimè locum habent, eoſque a ſanctiſſimâ hâc mensâ deterrent; qui oriuntur ferè ex his verbis, † *Qui edit et bibit indignè, damnationem ſibi ipſi edit et bibit, non diſcernens corpus Domini.*

4. Hortando vos ad animos veſtros concutiendos, ut eam cœnam digniores accedatis: ‖ *Exploret autem unuſquiſque ſeipſum, et ita de pane illo edat, et de poculo illo bibat.*

II. 1. *Perpetuum* eſſe inſtitutum ex his verbis apparet, *Quotieſcunque ederitis*, &c. quæ legas licet, quaſi imperantia, ſive præcipientia, *enunciate mortem*, &c. Hujus ſacramenti originem, quoque modo ipſe non ab Apoſtolis tantùm, ſed à Deo id inſtitutum accepiſſet, S. Paulus paulò antè dixerat, com. 23. 24. 25. Ex his itaque verbis pendet inſtitutum, ‡ *Hoc facite mei memores:* quibus ex verbis utrùm hoc ſemel an ſæpiùs eſſet faciendum, utrùm à

* 1 Cor. xi. 26. † Ibid. 29. ‖ Ibid. 28. ‡ Ibid. 24.

discipulis solummodò, dum vita illis suppeteret, an ab omnibus in omnia sæcula, quotquot Christianorum nomine se dignos crederent, non satis liquet. Quod verò affirmat S. Paulus, nobis liquidò ostendit, institutum hoc non ad Apostolos tantùm, aut ad unum sæculum, sed ad omnes Christianos spectare, *Quotiescunque enim ederitis hunc panem, et biberitis hoc poculum, enunciatis mortem Domini, usque dum veniat*; dum venerit, inquam, majestate et gloriâ circumcinctus, ad homines judicandos. Hoc itaque instituto mortem Christi enunciamus, nec cessabit id officium, donec sæculorum finis advenerit.

III. 2. Officium esse omnium Christianorum huic mensæ quàm frequentissimè adesse, ex eo patet, quòd ille, cujus nos discipulos profitemur, et perdere et servare potens, ita nos facere jussit. Ut verò aliquis, qui Christianum se vocat, legem Christi nullo modo ambiguam contemnat et negligat, quid est nisi legis ipsum latorem contemnere et negligere? Non minùs his, quàm Judæis, Jesus dicit, *Quid me Domine, Domine, vocatis, nec facitis quæ jubeam?* Scientibus quæ facere debeant, nec facientibus tamen, quis ampliùs veniæ sit locus?

IV. Est et *è re nostrâ* cœnam hanc Dominicam quàm frequenter adire. Quæcunque ex

novo

novo fœdere beneficia nobis innoteſcunt, ea omnia ex hoc ſacramento in nos fluere et derivari ſperamus; qualia ſunt, peccatorum venia, Sancti Spiritûs auxilium, (quod rectè facientes hortetur, delinquentes admoneat, ſub infortuniis laborantes conſoletur,) vitæque æternæ præmia ampliſſima. Adeo ut, ſacramentum hoc negligentes, negligimus etiam et utilitatem, et felicitatem noſtram, quaſi indignos Dei beneficiis nos judicamus, optimoque ad paranda iſta beneficia inſtrumento nos privamus. Si itaque officii noſtri ratio parum valet, valeat tamen felicitatis ſpes, valeat ſupplicii timor.

V. Quid, quòd inſtitutum hoc non ſedulò et diligenter obſervare, animi eſt ingratiſſimi. Vitam ſuam pro nobis depoſiturus hoc Chriſtus præcepit. Amici morientis juſſa contemnere, inter homines religio eſt; hoc autem nobis imperavit humani generis amicus fidiſſimus, jamjam moriturus, pro nobis ſe mactandum jamjam oblaturus, cruciatus graviſſimos pro nobis ſubiturus, ſeque peſſimæ morti, ut à doloribus acerbiſſimis necis æternæ nos liberaret, traditurus. Et hoc facere, eo imperante, negabimus, qui pro nobis hæc omnia fecit? Quid ſi magnum aliquod, et difficillimum præcepiſſet, nonne id facere nos oportuiſſet? quantò magìs oportet, cùm ſolummodò dixit,

Hoc facite mei memores? Cùm tantùm jussit, ut in memoriam amoris sui erga nos, et earum rerum quas pro nobis passus est, quam ipse paravit cœnam animo gratissimo adeamus, eumque gustemus cibum, quo accepto, nunquam iterum esuriamus?

VI. Nec profectò difficile fore, credo, homines ad negotium hoc excusitare, nisi deterreantur, aut periculo mensam istam indignè adeundi, aut necessitate animos suos antè parandi, et expurgandi.

VII. 3. Eos itaque amovere timores aggrediamur, qui in animis hominum sæpissimè locum habent, eosque à sanctissimâ hâc mensâ deterrent. Putant enim plurimi, tantum esse periculum ex hanc mensam indignè adeundo, ut tutius sit eam non omnino accedere.

VIII. At verò ex neglecto hoc officio tantum oritur periculi, quantum ex cœnam Dominicam indignè accedendo. Qui nuptiales epulas adire noluerunt, æquè culpandi erant, ac ille, qui eas adivit, nuptiali togâ non indutus. Nemo, ne sceleſtissimus quidem, dapibus iis adesse potest, quas Jesus instruxit, quin ad bona aliqua consilia suscitetur, moresque suos emendare quovis modo conetur; et, utcunque peccandi consuetudine retentus atque impeditus sit, si tamen harum epularum frequenter sit particeps, ita vires et potentiam libidinum

libidinum confringet Deus, ut tandem, divino cibo perpaſtus, ad bonam frugem redeat, eamque felicitatem ſentiat, quæ, niſi ex puro, et incontaminato animo, oriri non poteſt. Qui verò officium hoc negligunt, quid eſt, quod ab immanitate ſceleris eos abſterreat? nihil profectò, niſi legum humanarum timor; quas fallere licet, et tamen ſceleſtiſſimis eſſe.

IX. Quòd ſi homines tutius eſſe credant, à cœnâ Dominicâ penitùs abeſſe, ne eam indignè accedant, tum profectò tutius eſt ſcelere, et nequitiâ contaminatum, omnem Dei cultum projicere, neque ampliùs precari, nec ſacras ſcripturas aut legere, aut audire. Eſt enim, ex horum omnium abuſu, periculum non leve. * *Preces ſceleſti*, illius ſcilicet quem ſceleris ſui non pœnitet, *odio ſunt Deo*; monetque Chriſtus, † *Cavete quomodo audiatis.* An verò aliquis inde dicet, tutius eſſe hominem ſceleratum nec Deum precari, nec ſacras ſcripturas legere, et audire, ne, ſi ita faciat, gravius in ſe ſupplicium devocet? et tamen verum eſt, eum, qui indignè hæc facit, æquè pœnæ eſſe obnoxium, ac qui cœnam Dominicam indignè accedit. Qui ullo cultu religioſo abutitur, miſerrima eſt illius conditio; qui verò omnem penitùs contemnit, de eo deſperandum eſt; id enim abjecit, quo unico remedium inventurus eſſet. Qui edit et bibit

* Prov. xv. 8. † S. Luc. viii. 18.

intem-

intemperanter, in discrimen adducit et salutem et vitam suam; qui verò nec edit nec bibit omnino, haud dubium est, quid de isto futurum sit.

X. Sunt, qui sacramenti hujus participes esse nolunt, ne, quæ postea commiserint peccata, veniâ caritura sint. Fateor equidem, gravissimum esse peccare, cœlesti isto cibo repletum; sed abesse à sanctâ illâ mensâ, delictis nostris remedium neutiquam præbebit. Adeamus eam potiùs animo tristi, et vultu dejecto; hoc enim solum à culpis nos liberabit, Deique favorem nobis conciliabit. Quòd si postea indignum aliquod committamus, ad pœnitendum protinus accingamur; * *habemus enim advocatum apud Patrem Jesum Christum, peccatorum nostrorum piaculum*; qui, fracto corpore, et effuso sanguine nobis idcirco exhibetur, ut benefactorum ab eo acceptorum nunquam immemores simus. An credibile est primos Christianos, quibus hoc poculum gustare tam frequenter contigit, eo semel accepto, nunquam iterum peccâsse? at non ideo veniâ carebant, quia, ad cœnam Domini vocati, nunquam abfuerunt.

XI. 4. Jam verò videamus, quo more necesse sit animos nostros expurgare, ut ad sacram hanc mensam digniores accedamus. *Exploret unusquisque seipsum, et ita de pane illo*

* 1 Joan. ii. 1.

§ *edat,*

edat, et de poculo illo bibat. Erat inter Chriſtianos veteres conſuetudo, epulas eas, quibus amorem mutuum ſibi invicem omnes promittebant, ſeriò et temperanter celebrare; iiſque finitis, cœnam Dominicam inſtruere. Inter Corinthios autem, his dapibus divites ſolummodò accubuerunt, nec pauperibus relictus eſt locus; unde factum eſt, ut ſacram menſam indecorè adirent, hi eſurientes, illi cibo nimio perpaſti, vinoque ebrii. Hoc eſt, quod Apoſtolus vocat, *non diſcernere corpus Domini*; id eſt, inter cœnam Dominicam, et turbulentum convivium, nullum diſcrimen facere; unde dicit, *Eos edentes et bibentes indignè, ſuum* judicium *edere et bibere*; (hoc enim κρίσις ſignificat, quod *damnationem* interpretes vocant:) quòd enim κρίσις non æternam damnationem, ſed ad eam evitandam, pœnam aliquam leviorem ſignificat, ex eo, quod ſequitur, manifeſtò patet: dicit enim S. Paulus, * *Ob hanc cauſam multi inter vos ægri et infirmi ſunt, et plurimi dormiunt:* ob hanc ſcilicet intempeſtivam ebrietatem, varios morbos vobis immiſit Deus, unde multi è vobis mortui ſunt.

XII. Hoc erat quod Corinthiis imputavit Apoſtolus; eos ſcilicet, non, ut decuit, ſed turbidè et temulenter ſacras epulas acceſſiſſe. *Exploret igitur*, inquit, *unuſquiſque ſeipſum*;

* 1 Cor. xi. 30.

quæ

quæ quidem verba paulò latiùs extendi voluit; ut ii ſcilicet, qui corporis et ſanguinis Chriſti participes eſſe vellent, vitas moreſque ſuos inſpicerent, et, ſi quid pravi eſſet, id corrigerent; præcipuè, ut qui veniam ſuis delictis ſperarent, in ſe peccantibus ignoſcerent; ut omnes inimicitias, omnem ultionis cupiditatem deponerent; eumque univerſum amorem erga omnes exercerent, quem etiam in mediis cruciatibus erga omnes Chriſtus exercuit.

XIII. Si quidem ſeriò, et ex animo credimus, ab Jeſu jam morituro inſtitutum eſſe hoc convivium, ſui erga nos amoris monimentum, tum profectò nequit fieri, quin id læti, et mente gratiſſimâ celebremus. Quoties hæc verba legimus, *Hoc facite mei memores*, et conſideramus ſimul, quid ipſe, qui hoc dixit, nobis fecerit, animis noſtris altè repôſtum ſit hoc mandatum; præſertim cùm idem dixerit, * *Majorem amorem habet nemo, quàm ut quis vitam pro amicis deponat; vos eſtis mei amici, ſi ea faciatis, quæ jubeo.* Mirus profectò eſt iſte amor, et memoriâ æternâ fovendus: et hoc viciſſim à nobis poſtulat, ut hâc cœnâ frequenter paſti, ea recordemur merita, quæ nobis peperit. Quòd ſi hoc facere negligimus, ſumus omnium ingratiſſimi.

XIV. Quotieſcunque de benefactis hiſce,

* S. Joan. xv. 13.

ſub

ſub figurâ panis, et vini adumbratis, cogitamus, adeò non ea refugere, ut Deo Optimo Maximo grâtias offerre debeamus, quandocunque ea hauriendi occaſio nobis oblata ſit. Tanti muneris compotes, eo frui non audebimus? Exclamare potiùs libeat cum rege ſanctiſſimo, * *Ecquando tabernacula tua accedam, O Jehova exercituum? deſiderio afficitur anima mea veniendi ad atria tua*—Quòd ſi rerum æqui æſtimatores ſimus, graviſſimum eſſe eo munere privari, putemus, quo frequenter, imò et libenter, nos ipſi privamus.

XV. Romanos ſacerdotes incuſamus quotidie, in juſtam indignationem prorumpentes, quod dimidium cœnæ hujus divinæ cæteris dare negaverint, iiſque abſtulerint *poculum benedictionis, poculum ſalutis.* Nos tamen nullius momenti eſſe ducimus, ſi eo multos menſes, imò multos annos, ultrò careamus. Si nulla exinde beneficia oriantur, quid eos culpamus, qui poculum ſuis denegant? ſi plurima, quid ea contemnimus? nonne meriti ſumus, animis noſtris maciem ut immittat Deus, eoſque perpetuâ ſolicitudine tabeſcere faciat, ſi, cùm menſam epulis optimis confertam, ipſe inſtruxerit, panemque vitæ nobis appoſuerit, non illico veniamus, eoque læti atque hilares paſcamur?

* Pſalm. lxxxiv. 1.

CAP. VII.

De Jurejurando.

I. *Dicendum de iis, quæ vitanda sunt.* II. *Præceptum de jurejurando Christus extendit.* III. *Jurisjurandi tria sunt genera.* IV. *De licitis.* V. VI. *De falsis.* VII. *Non jurandum in vetita, aut contraria.* VIII. *Jurantes Deum offendunt.* IX. *Qui hoc vetuit.* X. *De levibus.* XI. *Quæ non excusantur consuetudine.* XII. *Jurare soliti perjurio sunt proximi.* XIII. *Nihil est quod homines ad hoc delictum alliciat.*

I. HActenus de iis rebus dixi, quas persequi Christiani hominis officium est. Pauca quædam subjungere libet, de iis, quas vitare necesse est; et primùm, de jurejurando.

II. Monebantur Hebræi, ne perjurii se affines præstarent. Christus autem hoc præceptum adeò extendit, ut quicunque juret omnino, nefario scelere se polluat. * *Audistis dictum fuisse veteribus, Non pejerabis, sed reddes Domino, quæ tu juraveris: ego verò dico vobis, Ne jurate omnino; neque per cælum, quia solium est Dei; neque per terram, quia subsellium*

* S. Matt. v. 33. &c.

est

eſt pedum ejus; neque per Hieroſolymam, quia urbs eſt magni regis. Neque per caput tuum jures, quia non potes unum capillum album aut nigrum facere. Eſto autem ſermo veſter, etiam, etiam; non, non: quod autem ſupra hæc redundet, à malo eſt.

III. Jurisjurandi tria ſunt genera; aut enim vera et licita ſunt, aut falſa, aut levia.

IV. Licet cuipiam jurare, nec in Deum peccare, ubi, coram judice, citatus, de gravi aliquâ re teſtimonium ſuum profert. Cùm enim de fortunis, de famâ, de capite alterius agitur, ea naturæ humanæ eſt imbecillitas, ut affirmanti cuipiam nemo ſatis credat; jurare itaque, et Deum invocare oportet, id, quod dicit, verum eſſe. Hinc teſtimonio fides oritur; nec in publicis judiciis aliter fieri poteſt. Qui verò hâc in re perjurum ſe præſtat, ex omnium cœtu expellitur, atque exterminatur; ut qui Deum ultrò contempſerit, fidemque inter homines tollere conatus fuerit. Neque hoc ſolum, ſed humanis etiam legibus, pœna illi graviſſima conſtituta eſt.

V. Falsò jurandi duo ſunt genera; aut enim affirmamus aliquid, aut promittimus. Si dicam juratus, id factum eſſe, quod non factum eſſe ſciam, perjurus ſim: imò, ſi jurejurando affirmem, id verum eſſe, quod verum ſit necne neſciam, utcunque verum ſit, perjurii pœnam

in me devocem; temerè enim juranti non facilè ignoscitur, etiamsi accidat, id verum esse, quod juraverit.

VI. Sed, præter has jurandi formulas, quibus aliquid affirmatur, sunt et aliæ, quibus aliquid promittitur. Promittitur aliquid, aut Deo, aut hominibus. Si Deo, votum est, cujus reus, nequaquam te excusatum habeas, nisi id penitùs compleveris: si hominibus, falsum sit, aut eo tempore, quo juraveris, aut postea. Eo ipso tempore, quo juraveris, falsum est, si non tibi certum sit id facere, quod facturum promiseris; aut si diverè interpretaris, ac scias eum interpretari, cui promiseris. Utcunque tamen statuëris id facere, quod promisisti, quo tempore te id facturum juraveris, si tamen postea non facias, perjurio nequaquam absolveris.

VII. Cùm igitur necesse est, ut, qui se facturum aliquid juraverit, id faciat, cavendum est, ne nobismet insidias ultrò struamus, id nos facturos jurando, quod legibus et humanis & divinis repugnat. Quòd si jurejurando affirmes, te aliquem occisurum; aut homicida sis oportet, aut perjurus: adeò ut in utramvis partem pecces necesse sit. Cavendum insuper, ne quis in duo contraria, et inter se repugnantia, juret: quòd si juratus affirmet, se omnes fortunas suas testimonio legaturum

turum amico cuidam, et postea iratus, se nihil ei legaturum juret, utcunque accidat, in eas se angustias detrusit, ut, nisi perjurus, evadere non possit. Quid igitur faciat? pœniteat eum illius, quod temerè, vel injustè, vel iratè, se facturum juraverit; et id faciat, quod sapientiæ, quod pietati, quod justitiæ consentaneum est.

VIII. In omni jurejurando, Deum invocamus, qui testetur, id esse verum, quod enunciavimus; quod si falsum sit, quâ contumeliâ, quo opprobrio Deum afficimus? Quid enim est aliud, nisi significare, aut nescire eum, quæ loquimur vera sint, necne; aut quod pejus est, mendacio eum ultrò favere? quorum alterum scientiam ejus infinitam tollit, alterum veritatem.

IX. At verò, si cui adhuc dubium videatur, quàm flagitiosum sit hoc delictum, audiat Deum ipsum dicentem, * *Se non eum insontem habiturum, qui nomen suum frustrà invocaverit*; nec in ullum aliud peccatum Dei ira, et indignatio gravius denunciatur.

X. Est et aliud genus jurandi, leviter scilicet et inconsultò, unde Dei honori maximè nocetur. Quàm scelestum, et nefarium est, illius nomen, per quem vivimus, à quo judi-

* Exod. xx. 7.

cium

cium futurum ſperamus, levibus et ludicris ſermonibus, ſæpe etiam profanis, et impuris inſerere: * *Ne omnino jurate: neque per cælum; eſt enim Dei ſolium: neque per terram; eſt enim pedum ejus ſubſellium.* Non jurare licet, etiam per ea, quæ fecerit Deus, nedum per ipſum, qui fecit. Hoc profectò delictum, neſcio quâ conſuetudine, inter homines inveteravit, unde latiùs latiùſque diſſeminatur. At verò recordemur, parum nobis profuturum ad Chriſti tribunal adſtantibus dicere, cum cæteris nos peccâſſe.

XI. Quicquid homines depravato hoc ſæculo credant, utcunque ſermone leviſſimo Deum invocare non reformident, alioſque eum ita invocantes ſurdis auribus audiant, utpote qui nihil præter ſolitum faciant, ſciant tamen, hoc, de quo loquor, peccato, nec gravius eſſe, nec ad Dei iram concitandam aptius. Chriſti enim præcepto non ſolùm obviàm imus, ſed de Deo nos judicium indigniſſimum facere liquidò demonſtramus. In omni jurejurando, ut ſuperiùs dixi, Deum appellamus, qui teſtetur, quod juravimus, id verum eſſe; ille autem eâ majeſtate eſt, ut adire eum, niſi in rebus maximi momenti, ubi aut

* S. Matt. v. 34.

de

de ipſius dignitate, aut æternâ hominum felicitate agatur, nefas ſit. Longè verò aliter ſe res habet, cùm in conviviis, in viis, inter ſermones futiliſſimos, jurejurando nos obſtringimus; ubi ea jurare multi non metuant, quæ ſapientem etiam loqui puderet.

XII. Quid, quòd inter colloquendum leviſſima jurejurando affirmare ſolitus, ad perjurium rectâ tendit viâ, nec ab eo longè diſtare videtur? An jusjurandum religiosè ſervabit, in diem, in horam jurare aſſuetus? An ille veniâ eſt dignus, qui clamat, inſcientem ſe et imprudentem perjurum factum? Animos ſuos ſcrutentur ii, qui hoc crimine laborat, et invenient, ſæpe ea ſe juratos effudiſſe, quæ falſa eſſe ipſi ſciant.

XIII. Eſt ad alia delicta, quod homines inducat, et alliciat. Hic lucri cupiditati inſerviens, ille effrænis animi libidinibus, ſcelere ſe polluit, ut aliquid inde ſibi conſectetur. Ex hâc autem culpâ nec utilitas ulla, nec jucunditas exoritur. Si ſperant homines, eò plùs ſibi credi, quò perſeverantiùs aliquid affirment jurati, ſpe ſuâ quàm plurimùm excidunt; nullius enim teſtimonio minor adhibetur fides, quàm Deum temerè invocantis. Nec injuriâ; qui enim rerum omnium auctorem ultrò laceſſere non dubitat,

quid est, cur is mentiri dubitet? imò quò promptiùs leviſſima jurejurando confirmat, eò magìs ſuſpicionem movet, eſſe aliquod ſcelus, quod tegere & obumbrare velit. Nec delictum hoc, quia quotidianum eſt, idcirco ponatur inter ea, quibus facilè ignoſcatur; quò enim minùs ad id committendum animi affectubus homines accenduntur, eò gravius, et ſceleſtius eſt.

CAP. VIII.

De Blaſphemiâ.

I. *Quid ſit blaſphemia.* II. *Scelus eſſe graviſſimum.* III. *Sacras ſcripturas irridere nefas.* IV. *Delictum hoc apparet,* 1. *in cogitatis.* 2. *in verbis.*

I. SI Deum aut falſò, aut temerè invocare, ſit graviſſimum, id quod modò oſtendi; quid de eo putandum eſt, qui nomen illius, qui attributa, qui promiſſa, qui minas irridet, omnemque arripit occaſionem, etiam inter leviſſimos et impuriſſimos ſermones, palam profitendi, ſe nec timere eum, nec revereri? Hoc eſt profectò quod blaſphemiam appellamus, cùm quis vocibus contumelioſis in rerum omnium auctorem opprobria effundit.

II. At verò, quo ore Deum adibit is, et peccatis

peccatis ſuis veniam implorabit, qui de eo omnia indigna et fecerit, et dixerit? quo vultu ad judicium venientem Jeſum ſuſtinebit, cujus merita, cujus ſupplicia, cujus mortem pro ludibrio, et ridiculo habuerit? Quod ſi non credant homines, Chriſtum in terras veniſſe, et pro delictis ſuis mortem obiiſſe, contemnere tamen eum, et convicius laceſſere deſinant: nequeunt enim probare falſa eſſe, quæ de eo credimus Chriſtiani; et ſi vera ſint, quàm graviſſimum eorum eſt ſcelus!

III. Sunt, quibus præcipua quædam voluptas oriri videtur, ſi quid in ſacris ſcriptoribus inveniant, quod aliis deridendum propinent. Parum habent non iis credere, niſi et ridiculo, et contemptu excipiant. Si in Judaicâ hiſtoriâ mirum quid, et inſolens legant, in effuſiſſimos riſus prorumpunt, eorumque ſtultitiam indignantes admirantur, qui fabellis malè contextis fidem adhibeant. Si dicas, Judæos à cæteris hominibus in eum finem ſegregatos, ne veri Dei nomen et cultus obſoleſceret, multaque inter eos miranda Jehovam feciſſe, quo promiſſis ſuis lætiùs confiderent, ex hiſtoriâ iſtâ protinus aliquod excerpunt, quod quidem naturali rerum ordini repugnat, et pro argumentis riſu refellunt. Veri autem index eſſe ridiculum non poteſt. Sincero animo, nec præjudiciis vitiato, utrùm à Deo

processerint ea, de quibus agitur, utrùm incorruptâ historicorum fide ad hunc usque diem serventur, explorent; si ita se res habeat, desinant miranda Dei facta risu, et contumeliis excipere, ne serius denique eos pœniteat, cùm perniciem in se devocarint.

IV. Aut verbis Dei majestatem lædimus, aut cogitatis. Cogitatis eam lædimus, cùm de Deo indignum aliquid putamus, ut si eum non clementem, non justum, non omnipotentem esse credamus. Verbis autem, cùm hæc, quæ indignè cogitamus, temerè effutimus, et risu insuper, opprobriis, contumeliis cumulamus. Sæpe autem accidit, ut plurimi, delicti hujus gravissimi verbis non insontes, animis ab eo alieni sint; et inter convivia, sermones futiles effundant, quibus ipsi non credant, ut festivi scilicet, et hilares habeantur. Hoc verò quàm plurimùm cavete; nec æternam felicitatem in unius diei discrimen detis. Ne Deum vestrum lacessatis, ea dicendo, ex quibus nec utilitas, nec voluptas proveniat; nec acerbam multorum annorum pœnitentiam brevis horæ fucatâ lætitiâ ematis.

De

De Officiis Christiani Hominis erga Homines.

CAP. IX.

De Justitiâ.

I. *Quodnam sit justitiæ munus.* II. *Justitiæ repugnant,* 1. *Furta et latrocinia.* III. 2. *Vis et dolus.* IV. 3. *Alterius famæ nocere.* V. *Summum jus summam esse injuriam.* VI. *Alteri faciendum quod tibi vis fieri.*

I. JUstitiæ munus est*, *ut jus suum cuique reddatur; ut ne cui quis noceat, nisi injuriâ lacessitus.* Hoc, ex ipsâ lege naturæ deductum, in omnibus philosophorum scriptis, tum veterum tum novorum, verbis difertissimis exprimitur. Huic apud Judæos † *lex talionis* præcipuè consuluit. Quid verò? nonne hoc

* Justitia est, constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi. Justin. Institt. Lib. I. Tit. I.

Juris præcepta sunt hæc: *Honestè vivere; alterum non lædere, suum cuique tribuere.* Ibid. Sect. 3.

Vid. Cic. de Officiis, Lib. I. Sect. 7.

† Numb. xxiv. 17, &c.

officium confirmavit, imò et auxit, religionis noſtræ fundator? Ille non tantùm à perpetratâ, ſed ab excogitatâ injuſtitiâ ſuos cavere juſſit. Non itaque ſatis eſt, ut jus ſuum cuique reddas, utque ab illo, quod alterius eſt, manus abſtineas, ſed ne optanda quidem ſunt ea quæ alii contigerunt. Et quod naturæ legibus præſcriptum eſt, *ut ne cui quis noceat, niſi injuriâ laceſſitus*; juſſit Chriſtus etiam injuriâ laceſſitos quicquid ad ultionem ſpectet ex animis projicere, et alteri nullo modo viciſſim nocere. * *Si quis*, inquit, *dextram tibi genam percutiat, obverte ei et ſiniſtram.*

II. 1. Huic virtuti primùm adverſatur, quicunque aut palam vi, aut clàm dolo, in alienas poſſeſſiones invadit; quorum unum *furti* nomine, alterum *latrocinii* appellatur. Horum delictorum conſciis in omni civitate ſupplicia parantur, ut à probis et honeſtis tutiùs vivatur.

III. 2. Alterum injuſtitiæ genus eſt, ubi aut vis corpori alicujus, aut ſaluti dolus intenditur. De homicidio dicturus poſteriùs, non eam vim volo, aut eos dolos, qui vitæ perniciem ſtruant, ſed qui detrimentum cujuſcunque modi alteri inferant, qualia ſunt verbera, plagæ, vulnera. His quoque de-

* S. Matt. v. 39.

 lictis

lectis à magistratibus idoneæ pœnæ constituuntur; quas quicunque vitavit, ne se Dei judicia vitaturum speret, cujus oculi secretissima perspiciunt, cujus dextera ad puniendum parata est.

IV. 3. Nec à *bonis* tantùm, et *corporibus* alienis abstinendum, sed præcipuè cavendum est, ne cui per te famæ, atque existimationis fiat detrimentum. Qui rem suam imminutam luget, sæpè iterùm ex angustiis evadit, et satis ad se, suosque sustentandos, labore, atque diligentiâ, corradit. Qui corpori violentiam aliquam illatam queritur, remedium aliquod vulneris ferè invenit: qui verò existimationis pessimum facit naufragium, mirum si unquam emergat: omnes illico adversantur; omnes fugiunt atque contemnunt; et adeò pronum est genus humanum ad id credendum, quod alteri noceat, ut sæpissimè, indictâ causâ, condemnetur à præjudicatis censoribus vir summæ probitatis, pietatisque. Quid, quòd integro, verèque incorrupto, et divitiis, et salute, imò et ipsâ vitâ charior est hominum de se existimatio; nec immeritò dixit sapientissimus ille rerum humanarum æstimator, * *prætiosius esse unguento bonum nomen.* Illum itaque omnium injustissimum rectè dicamus, qui famam alterius lædere conatur, idque ei iniquè eri-

* Eccl. vii. 1.

pere,

pere, quod meritò omnium chariſſimum eſt.

V. Ipſa juſtitia fines ſuos habet, nec ultra modum exerceri debet. Legibus quidem publicis (quæ ad coërcendos atque reprimendos aliquos, quò cæteri tutiores forent, natæ atque inventæ ſunt) multa conſtituta ſunt ſupplicia, quæ interdum mitigare, nonnunquam penitùs prætermittere, non humanum modò, ſed etiam civile eſt. Quædam enim incidunt aliquando, quæ commiſſi cujuſvis culpam aut debilitant, aut etiam tollunt; verbiſque licet quis legi obnoxius ſit, re non item. Hîc juſtitiam non reprimere injuſtiſſimum eſſet; adeò verum eſt id quod affirmabant etiam veteres Pagani, " * *Summum jus aliquandò ſum-* " *mam eſſe injuriam.*"

VI. Nos verò præceptum melius, et ad noſtros uſus accommodatius, à Chriſto habemus †, *Quod tibi fieri non vis, id alteri ne feceris.* Quicquid igitur agamus, quicquid dicamus, quicquid excogitemus, quaſcunque res, quæcunque negotia, cum aliis geramus, hoc animo infixum, atque altè repoſtum ſit. Facturuſne ſum, quod rei alicujus detrimentum faciat, vel quod dolorem minimum, aut

* Cic. de Officiis, lib. I. cap. 11.

† S. Matt. vi. 12.

mentis,

mentis, aut corporis, ei excitet? At priùs quàm faciam, mecum reputem, quid si quis mihi idem minitetur? feramne patienter? annon potiùs læsum me, et contemptum querar?— Insidiasne alicui paraturus sum, unde in mala improvisa inopinans incidat? At paulisper mecum considerem, quid si ipse in insidias eàsdem cadam?—An dicturus sum aliquid, quo famæ alienæ damnum inferatur? At priùs quàm dicam, hæc mecum agitem; Falsumne est id quod locuturus sum? at quo vultu, quo ore audebo id palam enunciare, unde alterius existimationi noceatur, quod fictum, falsumque esse sciam? Dubiumne? an igitur voces ambiguas in populum spargam, quæ falsæ veræne æquè mihi peccati noxam inferunt, cùm falsæ veræne sint, nesciam? At verum est? quid ergo? Egone hominem, iisdem, quibus ipse, laborantem infirmitatibus, paucorum flagitiorum compertum, quorum mox forsan pœniteat, deridendum atque contemnendum cæteris propinabo, meâque inhumanitate adigam ad desperationem, atque insaniam? Quid si ipse olim aliquid simile fecerim? an mea peccata proferri, atque exponi velim? Nonne ipse dixit, qui pro me, proque omnibus mortuus est, *Quod tibi fieri non vis, id alteri ne feceris?*

CAP.

CAP. X.

De Charitate, sive universâ Benevolentiâ.

I. *Charitas res primaria in Christiana religione.* II. *Quid sit charitas.* III. 1. *Nihil mali de aliis putare.* IV. *Qui alium culpat, se condemnat.* V. 2. *Discordantes conciliare.* VI. 3. *Aliorum rebus prosperis gaudere.* VII. *Sed non semper.* VIII. 4. *Adversis indolere.* IX. 5. *Egentibus opem dare.* X. *Refert quo animo id faciamus.* XI. *Liberalitati inimica avaritia.* XII. *Historia de Samaritano.* XIII. 6. *Contra nos peccantibus ignoscere.* XIV. *Dei erga nos benignitas causa cur in alios benigni simus.* XV. *Extendenda charitas in hostes.* XVI, XVII, XVIII. *Et in malos.* XIX. *Plurimæ causæ cur Christus hoc præceptum nobis commendârit.* XX, XXI, XXII. *Ut præjudicia ex Judæorum animis amoveret.* XXIII, XXIV, XXV. *Ut suos arctiùs connecteret.* XXVI. *Ut felicitatem hominum promoveret.* XXVII. *Naturæ hominum consentaneum.* XXVIII. *Ab exemplo Christi commendatum.*

I. NOVI Fœderis libros legenti occurrit illico, universam eam benevolentiam, quam *charitatem* vocamus, rem primariam

am

am eſſe in Chriſtianâ religione. Virtutem hanc, quæ multas alias in ſe complectitur, tam frequenter nobis commendârunt, et ipſe Chriſtus, et apoſtoli ejus, ut nemo, qui legit, uteunque parum curioſus, quid de eâ præceptum ſit, ignorare poſſit; imò S. Paulus omnibus eam Spiritûs Sancti dotibus præponit. * *Quamvis*, inquit, *loquar linguis hominum atque angelorum, ſi tamen charitatem non habeam, ſio tanquam æris ſonitus, aut tinnitus cymbali. Dìù patitur, et benigna eſt charitas; nulli invidet; non magnificè ſe effert; non facilè ad iram movetur; nihil mali de aliis putat; non aliorum ſcelere gaudet; omnia tegit, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.*

II. Quò faciliùs intelligatur virtutis hujus, quæ latiſſimè ſe extendit, vis atque præſtantia, ea, quæ ſequuntur, in ſex partes dividam. Jubet itaque nos charitas, ſive in univerſos diffuſus amor, atque benevolentia,

1. Nihil mali de aliis putare.
2. Diſcordantes conciliare.
3. Rebus proſperis aliorum gaudere.
4. Adverſis indolere.

* 1 Cor. xiii. 1, &c.

5. Egentibus opem dare.
6. Contra nos peccantibus ignoscere.

III. 1. Nihil mali de aliis putare. Sunt qui nescio quâ animi malitiâ laborantes, quicquid alii dicant, aut faciant, in pejorem partem interpretantur; in crimen voces, in scelus facta detorquent. Si quis laude dignum fecerit, ex utilitate ipsius id ortum affirmant, non ex animi bonitate. Si quis ornetur atque prædicetur, veteres aliquas suspiciones, nullo auctore emissas, producunt, imò et augent; aut suspensis obscurisque verbis, plus se scire, quàm fari velint, significant; aut si, ut ferè accidit in famâ viri optimi atque integerrimi, nihil mali dicere audeant, ne quid boni dicant, silent.—At, verò Christiani est officium de omnibus bona omnia dicere; nec rumores, qui alienæ famæ noceant, avidis auribus excipere, nedum eos in vulgus spargere; quicquid boni fecerint, ex bono animo id ortum putare, meritisque adeò laudibus evehere; quicquid mali, si fas, celare.

IV. Qui alios aggressurus est, seipsum semper concutiat; sibi enim fortasse aut natura, aut consuetudo mala, ea ipsa vitia insevit, quæ

quæ in aliis reprehenſurus eſt. * *Quomodò dicas fratri tuo, Frater, ſine extrahàm feſtucam quæ eſt in oculo tuo, non videns trabem, quæ eſt in tui ipſius oculo?*

V. 2. Diſcordantes conciliare. Eo nos animo formavit Deus Optimus Maximus, non ut, ferarum more, alius alii inſidias pararet, cædemque intentaret, ſed ut mutuam benevolentiam in vicem exercentes, quicquid felicitatis hæc vita haberet, ſimul eo frueremur, quicquid calamitatis, id ſimul levare conaremur. Fœdus hoc amicitiæ vinculis arctioribus ligavit, atque connexuit Chriſtus: † *Exinde ſcient omnes eſſe vos meos diſcipulos, ſi charitatem habeatis alii inter alios.* Quicunque igitur inter principes bella, in civitate ſeditiones, in domo jurgia, in foro lites, fovet atque incendit; quicunque homines, ad pacem atque amicitiam natos, in diſſenſiones urget; is profectò, quocunque ſe nomine appellet, Chriſti non eſt diſcipulus. Qui verò reges iratos conciliat, qui à civibus ſuis incendium atque cædem prohibet, qui rixantium diſcordias tollit, domeſticas compeſcit, forenſes componit, is eſt quem Chriſtus ſuum

* S. Matt. vii. 4. † S. Joan. xiii. 35.

esse agnoscit. * *Beati sunt pacifici, ii enim filii Dei vocabuntur.*

VI. 3. Tertium genus charitatis est, *aliorum rebus prosperis gaudere.* Sunt quidam adeò sui amantes, quorum animi adeò angusti sunt, ut si quid insperatæ lætitiæ aliis contigerit, id auribus aversis, et immotâ mente, accipiant. De se, suisque nimis soliciti, quid de cæteris fiat, parum curant. Jubet autem homines Christus, nihil humani à se alienum putare; et si fraterno animo alii alios amemus, quicquid ad fratrum felicitatem spectat, id ad nos quodammodò redundare putabimus.

VII. Non autem in omni aliorum gaudio gaudeamus oportet. Quosdam lætitiâ afficiunt immodicæ divitiæ, quæ malorum ferè sunt irritamenta: quosdam evehunt immeriti honores, à quibus tamen, invidiæ subjecti, præcipitantur. Si verò bonus quis, paupertate gravi diu oppressus, emerserit; si morbo aliquo dudum afflictus, ex insperato ad salutem vitamque redîerit; si uxores cum viris, parentes cum filiis, fratres cum fratribus, amici cum amicis, discordiis compositis, in gratiam inîerint; præsertim si quis, postquam à virtute aberraverit, omnique se scelere con-

* S. Matt. v. 9.

taminaverit,

taminaverit, ad bonam frugem redierit; propter hæc omnia ſeriò triumphare, id demum Chriſtiani eſt officium.

VIII. 4. Utque rebus aliorum proſperis gaudere, ita adverſis indolere, oportet. In vitam hanc, tanquam in mare importunum, mittimur; ubi à ventis, procellis, ſcopulis, cavendum; neque ſub undis aliquem præcipitari, atque demergi videamus, quin eodem tempore putemus, poſſe idem & nobis accidere. Hinc in animo miſericordia exoritur; quâ tum denique potiſſimùm movemur, cum alios id pati aſpicimus, quod nos ipſos aliquando paſſuros timemus. Saxis durius eſt illius pectus, qui flenti nequit adflere; quique oculo irretorto, et feſtino pede, mœrentium domos præterit.

IX. 5. Nec ſatis eſt ut aliorum infortuniis indoleamus, ſed levare etiam oportet, et *egentibus opem dare.* Omnibus debentur auxilium, conſilia, ſermones, cohortationes, conſolationes; nec putemus nobis à Deo plus ingenii datum eſſe, ullam aliam ob cauſam, niſi ut aliorum patrocinium ſuſcipiamus; nec plures divitias, niſi ut iis in aliorum miſeriis ſublevandis, utamur.

X. Plurimùm autem intereſt, quo animi affectu, inopi atque proſtrato opituleris. Sunt enim,

enim, qui nescio quo cœco impulsu acti, jacentes in triviis mendicos opibus potiùs adjuvare dicantur, quàm animis misereri. Sunt quoque, qui, ut ipsi magnifici et liberales habeantur, bona sua immerentibus perindè ac merentibus largiuntur; quorum neutros eo præmio dignos existimem, quòd clementibus in cœlis reponetur; * *Beati sunt misericordes, nam iis tribuetur misericordia.* Ratione facultatum habitâ, liberalior sit ille qui minam, quàm qui talentum erogat; nec gratius ullum Deo erat munus, quàm qui à viduâ oblatus est † obolus.

XI. Huic, de quâ loquimur, liberalitati, nihil tam inimicum est, quàm avaritia, vitiorum omnium, si quod aliud, contemptu odioque dignissimum. Argumenta ad hoc probandum proferre, non operæ pretium esse puto; nec ostendere, quo modo clementiæ fontes omnes in eo claudantur, qui opibus suis pro Deo inservit: libet potiùs elegantissimam istam historiam de Samaritano, quem Boni cognomine appellamus, narrare, qui Christum ipsum auctorem habet.

XII. ‡ *Ibat quidam viator ab Hierosolymis Hierochuntem, quem vulneratum, vestibusque exutum, semianimem latrones reliquerunt. Et fortè*

* S. Matt. v. 7. † S. Marc. xii. 42. ‡ S. Luc. x. 30.

devenit in eundem locum ſacerdos quidam, eoque viſo, præteriit. Item Levita vidit eum, viſoque præteriit. Quidam autem Samaritanus, dum iter faciebat, conſpexit eum, et miſertus, acceſſit, et, vino oleoque infuſis, vulnera ejus faſciis involvit, ſuoque jumento impoſitum ad diverſorium deduxit. Mane diſceſſurus protulit duo denaria, quibus cauponario datis, ‘*Cura eum,*’ *inquit,* ‘*et* ‘*quicquid ultrà in eum eroges, cùm rediero, tibi* ‘*ſolvam.* ‘*Utrum horum,* inquit Chriſtus le-‘*giſperito, ei proximum credis, qui à latronibus* ‘*ſpoliatus eſt?*’ reſpondet iſte, ‘*Qui illius miſertus eſt.*’ ‘*Abi ergo tu,* ait, *et fac ſimiliter.*’

XIII. 6. Contra nos peccantibus ignoſcere. Reſtat ut pauca dicam quibus ad ignoſcendum iis parati ſitis, qui in vos aliquid commiſerunt. Qui vindictæ cupidinem in corde fovet, et impacato odio aliquem inſectatur, is ſub Satanæ, non ſub Chriſti ſignis militat. * *Si quis vobis inimicus ſit, quo modo Chriſtus vobis veniam peccatorum dedit, vos aliis item.* Injurias patienter ferre noſtrum eſt, Deo alia omnia permittentes: † *Ulciſci meum eſt, ego rependam, inquit Dominus.* Qui ſurgentes iræ tumultus non compeſcuit, ſæpe in magnum aliquod malum imprudens cecidit; illum verò longè pejorem judico, qui

* Col. iii. 13. † Rom. xii. 19.

in-

inveteraſcere odium in pectore ſinit; qui, compoſito in præſens et animo, et vultu, occaſionem lædendi expectat; utque vetus ille humani generis hoſtis, nunquam eum inſequi ceſſat, cui ſemel iraſcitur, donec funditus perdiderit.

XIV. Quo autem ore Deum Optimum Maximum aggredi audebimus, precantes, ut quicquid pravi fecerimus, nobis ignoſcat, cùm ipſi tamen in nos peccantibus non ignoſcimus? Maxima eſt Dei erga nos benignitas; plurima ſunt noſtra erga eum peccata; an igitur nobis ea ut remittantur oramus, aliis delicta ſua ipſi non remittentes? An ipſi, mille talentorum debitores, eum in vincula conjiciemus, qui centum nobis debeat denarios?

XV. In omnes itaque extendatur benevolentia, nec in propinquos, cognatoſque ſolùm ſed etiam in hoſtes infenſiſſimos. * *Audiviſtis dictum eſſe, Amabis proximum tuum, et oderis inimicum tuum; ego verò vobis dico, Amate inimicos veſtros.*

XVI. Sunt, qui neſcio cujus perfectæ virtutis ſibi conſcii, omnibus ſe benefacere velle affirmant, niſi malis et improbis. O, dementes, et inſanâ correpti ſuperbiâ? Nonne immaculati iſtius Agni pro peccantibus ſanguis

* S. Matt. v. 43.

fuſus

fusus est? Vestrine oculi adeò puri sunt, ut scelestos intueri nequeant?

XVII. Quis verò misericordiâ dignior, quàm iste, qui dementibus furiis actus, per omnem vitæ cursum, nihil aliud agere videtur, nisi Deum Omnipotentem ad iram provocare, Christumque (ut aiunt) cruci iterum adfigere? Miserrimus ille profectò, omniumque comploratione lamentandus. Si in se descendat, et pectus suum inspiciat, nihil illic nisi tumultuosos, et discordantes æstus, inveniet. Si præteritam vitam paulisper recordetur, turbatæ menti occurrunt illico cædes, rapinæ, adulteria, Dei minantis, monentisque contemptus: si verò, quid sibi futurum sit, quærat, tristior fit, et terribilior prospectus; mortis vicinæ timor continuus, et æterni supplicii non supprimendus horror.

XVIII. An igitur fratrem, his calamitatibus oppressum (pro quo, etiam si adhuc resipiscat, mortuus est Christus) utpote benevolentiâ nostrâ indignum, et contemptum, præteribimus? annon potiùs fovebimus eum, et in vias virtutis aberrantes pedes revocare conabimur? annon Deum orabimus, ut, quod fuerit ignoscat; quod sit, corrigat; quod futurum, dirigat? annon eo à scelere converso lætabimur; cum * *lætitia sit in cæ-*

* S Luc. xv. 10.

lis propter unum peccatorem, quem delictorum pœniteat?

XIX. Plurimæ sunt causæ, cur Christus *novum* hoc præceptum suis tradiderit.

XX. 1. Primò enim, ex animis Judæorum præjudicatas istas opiniones de Gentibus eradicare voluit. Suis enim ritibus, et cæremoniis, adeò obstricti illi erant, ut omnes odio haberent, qui nec à patre suo Abrahamo ortum ducerent, nec in Sione Jehovam colerent. Neu mirum, si à cæteris disjuncti, Deoque ipsi dicati, vicinos populos contemnerent, non in jura ulla peculiaria acceptos, nullam promissam hæreditatem sperantes, ignorantiâque, et idololatriâ, sepultos, atque obrutos.

XXI. Ad promovenda consilia, servandamque inter homines Dei Veri notitiam, necessaria erat hæc Judæorum à cæteris disjunctio. Si enim societatem, et fœdera cum idola colentibus inissent, si ex Philistæorum atque Amoritarum virginibus uxores duxissent, et civiles et religiosos eorum ritus paulatim adoptâssent.

XXII. Cùm autem ille dies advenerat, quo beneficia, in unum adhuc populum collata, in universum humanum genus diffusa erant, cùm et Judæi, et Gentiles, ejusdem fœderis participes, eandem ad aram sacra faciebant, iniquas has de cæteris cogitationes æquum erat

eos deponere, omnesque omnibus officiis prosequi.

XXIII. 2. Altera erat causa, cur universam hanc benevolentiam discipulis suis Christus præceperit, quia novit, quantùm iis laborandum esset in propagandâ novâ religione, quæ nec affectibus hominum, nec præjudiciis blandita est, eoque, arcto quodam vinculo, charitatis scilicet, colligare eos, et connectere voluit. * *Veni*, inquit, *non pacem in terram, sed gladium missurus*. Absit ut putemus, mitem illum, et mansuetum Jesum, cujus vita hominibus benefaciendo est acta, tandemque, ut in æternæ felicitatis spem sontes eos, damnatosque vindicaret, deposita, voluisse, ex sanctâ suâ religione, tot scelera, tantam immanitatem ortam fore: cùm verò liberè ut amplecterentur veritatem, eamve liberè repudiarent, hominibus ipsis concessum erat, prævidit profectò, et ab externis hostibus, internâque discordiâ, quot calamitatibus sui subjicerentur.

XXIV. Quod futurum Christus prædixerat, id protinus accidit. Vix hominibus se ostenderunt nova hæc documenta, cum plurimi contra ea armarentur; et licet cursu rapidissimo regiones omnes pervagata sint, adeò ut populi maximè dissiti, et longissimè à Judæâ amoti, Christi meritis confiderent,

* S. Matt. x. 34.

in ea tamen conjurati sunt philosophi, magistratus, principes; quique in iis disseminandis occupati erant, non modò contemptu, atque odio excipiebantur, sed inter acerbissimos cruciatus animas sæpissimè exspirârunt. Ut prophetarum priscis temporibus, ita nunc, sanctorum sanguine Hierosolymarum fœdatæ sunt viæ; plurimique Apostolorum, divini sui magistri exemplum secuti, ad confirmandam istius religionis veritatem mortui sunt, quam et illustrârant præceptis, moribusque commendârant.

XXV. Qui eandem ob causam acerbi aliquid patiuntur, ii ferè societatem arctissimam ineunt, aut ut in vicem se defendant, aut saltem consolentur. Sed inter primos Christianos perrarò hoc factum invenimus. Diversi illico præceptores, diversæ sectæ sunt exortæ. * *Ego*, inquit unus, *sum Pauli*; *et ego*, alter, *Apollo*; *ego vero*, *Cephæ*; *at ego*, *Christi*. Ex diversitate hâc opinionum, id quod sæpè fieri videmus, in iram, ex irâ in jurgia proruperunt, et evangelica ista pax in discordiam prorsus mutata est. In hæc itaque mala remedium, quæ futura prævidit, novum hoc præceptum, universam scilicet charitatem, suis Christus commendavit.

* 1 Cor. i. 12.

XXVI.

XXVI. 3. Tertia erat cauſa, cur novam hanc legem de amore tulerit Chriſtus, quia ſciverit ab eâ quàm plurimùm pendere hominum felicitatem. Ex nimio Sui amore omnes ferè oriuntur, quas ploramus, calamitates; ex hoc fonte amariſſimo profluunt ira, invidia, bella, ſtrages; corruunt urbes; vaſtantur agri; vitia graſſantur omnia.

XXVII. Utque ad felicitatem noſtram promovendam officium hoc ſpectat, ita naturæ noſtræ quàm maximè conſentaneum eſt. Affectibus rectè compoſitis, nunquam tantùm ſibi ſatisfacit animus, quantùm cùm aliis benefacit. Plena eſt calamitatibus hominum vita; opem atque auxilium noſtrum quotidie invocant, aut re, aut corpore, aut animo laborantes. Mœrentium domos inire, ſolatium afflictis afferre, egentes ſublevare, ſuum ſecum fert præmium, Deoque clementiſſimo clementes commendat. * *Si quis Deum amet, amet etiam et fratrem ſuum.* Quicunque grato animo ea recordatur beneficia, quæ à patre ſuo cœleſti ipſe acceperit, aliquem ex fratribus ſuis inopem, atque proſtratum immotis oculis intueri non poteſt: quique officium hoc verè præſtitit, æternâ felicitate inter eos potietur, quorum benevolentia univerſa, quorum amor infinitus eſt.

* 1 Joan. iv. 21.

XXVIII.

XXVIII. Si quandò dubitemus, quoties alicui ignoscendum sit, et quid nobis pro aliis faciendum, esse nos Christianos recordemur, Christique adeò exemplum ante oculos nobis proponamus. E gremio Patris Omnipotentis processit Filius ejus unigenitus; nostra peccata ut elueret, mortem passus est, ad quæ eluenda nihil aliud valuisset. Regionibus cœlestibus relictis, nostram sibi naturam induit: * *ad suos venit, et etiam sui eum non agnoverunt. Vita ejus plena erat miseriæ, neque ullus erat dolor similis istius dolori.* † *Ob mala nostra vulneratus; peccata ob nostra contusus est. Tanquam agnus ad cædem ductus est; à carcere atque à judicio trahebatur, et abscindebatur à viventibus.* Talis Dei erga homines erat amor: pro nobis carne vestitus; pro nobis cruci est affixus; pro nobis in orcum descendit; pro nobis resurrexit; urbis istius, cujus in cœlis sunt fundamina, prospectum nobis aperuit; propositasque fœderis conditiones servantibus morte suâ vitam nobis peperit. Recordetur hæc, quicunque sit, qui metuit, ne alteri nimis benefaciat.

* S. Joan. i. 11. † Is. liii.

CAP.

CAP. XI.

De Animi Humilitate.

I. *Humilitas animi Christiani officium.* II. *Hanc ex animo evellit superbia.* III. *Quæ ferè oritur, aut ex* genere, *aut* doctrinâ, *aut* divitiis. IV. *A Deo hæc omnia accepta.* V. *Calamitates patienter ferendæ.* VI, VII. *Historia Jobi.* VIII. *Fides in Deo reponenda.*

I. EST et hominis, præsertim hominis Christiani officium, de se modestè atque submissè, et putare, et loqui: neque sibi ea, quæ non habeat, arrogare; neque illa, quæ habet, insolenter nimis jactare. Quicquid enim habemus, id omne à Deo accepimus, qui, quæ hodie dedit, si volet, cras auferat.

II. Hanc virtutem ex animo evellit, atque eradicat insolens, atque viro indigna, superbia. Hinc fit, ut vitia nostra iniquis oculis prætermittamus; hinc fit, ut majora meritos nos, quàm quæ contigerunt, putantes, sortis nostræ simus impatientes. Quò enim pluris aliquis sese æstimat, eò minùs, comparatione inter merita sua et possessiones factâ, id æstimat, quod habet. Quin, si in cœlum admitteretur, nondum exutâ superbiâ, etiam felicitatis

tis eum suæ pœniteret, si alios feliciores aspiceret.

III. Jam verò videamus, quænam sint ea, de quibus superbi adeò magnificè sese efferunt. Aut enim *generis* splendore capti, aut *doctrinæ*, aut *divitiarum*, omnes alios ludibrio habent, et contemptu. Quid autem? An his fundamentis innititur superbia? An hæc sunt, propter quæ homines, in diem tantùm nati, coli atque adorari, sperant? Hic à longo tyrannorum ordine proavos suos deducens, alios fastu insolenti despicit; nec illos ex eâdem familiâ exortos esse considerat, ex eodem luto formatos, iisdem infirmitatibus laborantes, et ex eodem Deo misericordiam sperantes. Discet autem, ubi in sepulchro contumulentur ossa, nullum esse inter potentes atque infimos discrimen; * *ibi enim jacent et superbi et humiles, liberque cum domino servus requiescit.* Ille propter fortunæ dona, mille casibus subjecta, mille vicibus obnoxia, cultum et honorem à pauperioribus exposcit; citò tamen inveniet, † *nihil nos in mundum nobiscum tulisse, nihilque exinde ablaturos.* Alius doctrinâ, atque ingenii dotibus confisus, quasi ex viliore quâdam materiâ conflatos, rudes et imperitos homines contemnit; at verò scire se nihil planè con-

* Job. iii. 1. † 1 Tim. vi. 7.

fessus

ſeſſus eſt è philoſophis antiquis ſapientiſſimus; longâque demum experientiâ id unicum vel Solomo invehit, * *Vanitatem eſſe omnia, atque animi ſolicitudinem.*

IV. At verò qui ſuperbiâ laborat, hoc inſuper ſecum reputet, etiam dona hæc, levia utcunque, et ludicra ſint, non à ſe, aut à ſuis dotibus procedere, ſed à largâ Dei Omnipotentis manu. Illo ſe fretum meminerit; ad illius nutum, vitam ſe ſuſtentare, unde eam acceperit; è pulvere demique ſe exortum, ad pulverem rediturum. Deſinat itaque ſuperbè cogitare, et in altum evehi; deſinat eos inſolenter intueri, quibus idem in cœlis eſt pater; ſuæque ſibi infirmitatis conſcius, et quàm ſit ſtultum ſuperbire agnoſcens, audiat verba S. Joannis, † *Faſtus vitæ à patre non eſt*; audiat eum qui dicit, ‡ *Ex me diſcite, ego enim humilis ſum, animique ſubmiſſi.*

V. Nec modeſtè tantùm de nobis putare oportet, ſed ſi quid mali nobis divinitus accidat, æquo id animo, et patienter ferre, ſive inde rei, ſive ſalutis detrimentum, aut damnum oriatur. Idem qui fecit nos Deus, nobis omnia conceſſit, uxorem, liberos, rem, ſalutem, vitam; quæ ſi aliquandò revocet, ea humanæ mentis eſt debilitas, ut non lu-

* Eccleſ. i. 14. † 1 Joan. ii. 16. ‡ S. Mat. xi. 29.

gere, cùm perdiderit illa quæ chariſſima habuerit, vix poſſit; queri nefas.

VI. Sanctiſſimi illius Jobi exemplum ante oculos proponamus. * *Venit ei nuncius, dixitque;* ‘ *Boves tui arabant in agro, et aſini tui* ‘ *juxtà paſcebantur; et ecce! Sabæi, in eos ir-* ‘ *ruentes, abſtulerunt, imo et ſervos tuos gladio* ‘ *necârunt: adeò ut ipſe ſolus relictus ſim, qui* ‘ *tibi hæc dicam.*’ *Eo loquente intervenit alter, dixitque,* ‘ *Ignis è cælo decidit, oveſque tuas, et* ‘ *ſervos tuos exuſſit, et conſumpſit; adeò ut ipſe* ‘ *ſolus relictus ſim, qui tibi hæc dicam.*’ *Eo dicente, venit alius;* ‘ *Filii,*’ *dixit,* ‘ *et filiæ tuæ* ‘ *edebant, et vinum potabant in fratris primoge-* ‘ *niti domo; et ecce! ventus vehemens ab eremo* ‘ *quatuor angulos tecti percuſſit, quod in juvenes* ‘ *concidit, ita ut mortui ſint; et ipſe ſolus relictus* ‘ *ſim, qui hæc tibi dicam.*’ Quid autem his malis oppreſſus fecit Jobus? Non queri, non lugere, vix loqui auſus, in terram pronus decidit; *Nudus,* inquit, *ex utero meæ matris veni, et nudus redibo; Deus qui dedit, idem abſtulit: nomen Dei laudetur.*

VII. Nec bonorum ſolùm direptionem, ſoboliſque ſuæ deſiderium perpeſſus eſt, ſed et ipſe, gravi morbo afflictus, à pedum plantis ad capitis verticem crudis vulneribus cooper-

* Job. i. 14, &c.

tus

tus est. Adiit itaque jacentem, et prostratum in pulvere, tori consiliorumque particeps. *Quousque*, inquit, *graves hās calamitates sine questu patieris? Quin age, Deum execrare, et morere.* Ille autem, *Loqueris*, ait, *ut una ex stultissimis loquitur. Bonumne à Deo accipiemus, et malum accipere dedignabimur? Felix est, quem corrigit Deus; ille enim, quos vulnerat, sanat; remediumque feret idem, qui et morbum tulit.*

VIII. Ab exemplo Jobi discendum est, non modò quicquid nobis Deus intulerit, id patienter tolerare, sed et *fidem* in eo penitus reponere. Promissis Dei, Christique meritis confidere, inter Christiani officia primum est. Hinc oritur in malis solatium, in calamitatibus patientia, in rebus secundis humilis animus, in adversis non dejectus; hinc denique pendet omnis et vitæ futuræ spes, et præsentis felicitas.

CAP. XII.

De Officio Filiorum erga Parentes.

I, II, III, IV. *De parentum curâ in servandis, et erudiendis filiis.* V. *Unde oritur filiorum erga parentes amor.* VI. *Qui ex duabus causis deducitur,* VII, VIII. *grato animo,* IX, *et religione.* X. *Deus hominum est pater.* XI. *Inde deducitur erga parentes obedientia.* XII. *Quale sit hoc officium.* XIII. *Paternam rem dilapidare nefas.* XIV. *Officium hoc ab Jesu commendatum,* XV. *et à Sirachi filio.*

I. DEUS, qui suis optimè providit, humano pectori affectus quosdam inseruit, tardum rationis consilium non expectantes, et ad felicitatem hominum promovendam, ubicunque opus esset, statim se exercentes. Inter hos nullum magis universum puto, solicito isto amore, quem excitat in cujusque parentis corde, suæ sobolis servandæ, tuendæque cura. Immanissimus profectò sit ille, si quis hoc affectu non moveatur: neque enim volucres nidos suos deserunt, simul ac oves incumbere desierint; nec ab antro discedit sævus iste nemorum tyrannus, donec * *catulis*

* Psal. civ. 21.

tulis ſuis ſatis virium ſit, ut ad prædam rugiant, et eſcam à Deo quærant.

II. Quòd ſi non ita ſe res haberet, miſeranda profectò eſſet hominum conditio. Ad propagandum genus cupiditatibus noſtris incitati, de conſervando parum eſſemus ſoliciti. Brachia ſua ad opem implorandam infans fruſtrà extendiſſet; in fletus fruſtrà prorupiſſet; nemo ei auxilium tuliſſet; * *non excepiſſent eum genua, nec ubera, quæ ſugeret.*

III. Noluit verò Deus, homines ad altiora natos, ſimul ac è portu exceſſerint, fluctibus jactatos, et quaſi naufragos, relinquere. Cupiditatibus, et libidinibus noſtris, tuendæ etiam ſobolis curam addidit; juſſitque, ut amor iſte, quo connecterentur ſexus, ſervando generi inſerviret. Hinc effuſa iſta lætitia, quâ parentis pectus diſtenditur; hinc riſus iſti cum lacrymis commixti, qui niſi materno in vultu perrarò locum habent.

IV. Nec verò amor iſte, ſi ratione, id quod ſemper oportet, rectè ſit temperatus, in blanditias ſolùm prorumpit, ſed latiùs ſe extendens, in futurum conſulit. Hinc ab ignaviâ pueros detorquere, virtutiſque et religionis præceptis imbuere, parentis eſt officium; et rarò fit, ut hominem videamus adeò perdi-

* Job, iii. 11.

tum,

tum, quin cupiat, et ex animo conetur, liberos suos, et magis probos, et sapientiores seipso fore.

V. Exinde oritur mutuum filiorum erga parentes officium. Cùm verò hic affectus ad servandum genus hominum, non adeò necessarius sit, nec tam violens, nec tam universus est. Quod si eum perpendamus, commendatum potiùs à ratione nobis inveniemus, quàm insitum à naturâ. Hinc fit, ut cùm rarò filius amore aliquo prosequatur patrem difficilem, atque morosum; multos parentes filiorum vitiis et scelere gravatos, et quasi incurvatos videamus. Hinc de priore illo officio, parentum scilicet erga filios, utpote legeâ, quæ nascentibus nostris inscribitur, commendato, silent penè sacræ literæ; dum posterius, filiorum scilicet erga parentes, utpote rationis potiùs, quàm naturæ officium, inter decem ea quæ præcepit Israelitis Deus, locum habet; * *Honora patrem tuum, et matrem tuam.*

VI. De officio filiorum erga parentes dicturus, duobus id ex causis deducam, ex sensu beneficiorum acceptorum, et ex religione.

XII. Grati animi officium exoritur ex sensu accepti cujusdam beneficii, quod alio modo rependere non possumus, quàm confitendo,

* Exod. xx. 12.

nos

nos id debere. Si enim parem gratiam referamus, ceſſat officium; quod profectò humano animo adeò ingenitum eſt, ut niſi generoſiores omnes affectus penitùs eradicentur, nequeat convelli, aut amoveri. Imò etiam illi, qui contemptis Dei monitionibus, ſcelere omni ſe contaminârunt, eos tamen colunt quodammodò et venerantur, à quibus ipſi beneficia acceperint.—Si verò ita ſe res habeat; ſi hoc, de quo loquor, officium, vim potiùs ut evellatur poſtulat, quàm culturam, ut augeatur; quàm perditus, quàm nullius animi ſit is, qui ne minimùm quidem eo movetur; præſertim erga illos, qui etiam ingratiſſimum amare non deſinunt: quod ferè ſit inter filios, parenteſque? Naturæ voces benigniſſimæ, pueritiæ innocentis recordatio, filii cauſam diſertiſſimè agunt; dum parentis nec amor, nec anxietas, intemperantiam juventutis refrænare, et effuſiſſimos libidinis æſtus coërcere poteſt. Ad orcum interea deſcendit morbis, et miſeriis coopertus; et elatum ſequitur filius eodem animo, quo conducti in funere, qui lacrymas pretio vendunt, doloremque fingunt, cujus corda ſua ſunt expertia.

VIII. Ex difficili quidem, et moroſâ parentis auctoritate, oritur filii invita, et triſtis obedientia. Nec mirum; pertinaces enim ſunt animi cupiditates, et in omnes habet imperium

rium amor Sui. Ei alios affectus inſerere poſſumus; ſed ex corde eum penitùs aveliere, alioſque in loco ejus ſeminare, nemini datur. Ubi verò pater adeò non acerbus eſt, ut utilitati, imò et cupiditatibus filii ſui, pareat atque obſequatur; ubi nihil ſtudet, nihil molitur, niſi ut felicitatem ei pariat, et miſerias avertat; ubi non tantùm eum re ſuâ communicat, ſed ſibi multa negat, ut ille pluribus perfruatur; ſceleratiſſimus profectò ſit, qui inobedientiâ, animoque ingrato patrem negligit; et futili ſimul conſilio, contemptâque ejus auctoritate, ſe in perpetuum liberari vehementiſſimè exoptat.

IX. Ut officium hoc præſtemus, jubet gratus animus. Quid autem religio? nonne et ipſa idem monet? non enim in vitam hanc, ut nullâ neceſſitudine conjungeremur, prodiimus, ſed ut alii cum aliis diverſis modis connecteremur, unde plurima deducta eſſent officia. His ut fungamur officiis, omnes oportet; et quicunque iis optimè fungitur, Deo plurimùm placet. Eſt igitur officium populi erga regem ſuum, eſt et regis in populum; uxoris erga maritum, et mariti viciſſim in uxorem; nullam verò juſtiorem, neque graviorem cauſam neceſſitudinis puto, quam beneficia à parentibus accepta, nec vita ſolùm,

ſed omnia etiam ad bene beatèque vivendum nobis ab iis conceſſa.

X. Deus, ut amorem erga ſuos oſtendat, patrem ſe omnium vocat. Eo itaque nomine appellamus, quoties illum precibus adimus, quod nobis ab ipſo Chriſto imperatum eſt. Cùm itaque vim, et ſignificationem iſtius nominis, cùm neceſſitudinem filiorum cum patribus, patrumque amorem erga filios perpendimus, gaudere profectò, et exultare oportet, eſſe nobis in cœlis patrem.

XI. Obſervantiam, atque cultum à nobis poſcit Deus, utpote pater. Num quid clariùs, aut pleniùs indicat, quâ obſervantiâ, quo cultu, pater à filio colendus ſit? Quod ratio nos antè docuerat, id confirmat patefacta nobis in ſacris ſcripturis Dei voluntas: nec, qui officium hoc prætermittit, cætera eum vitæ officia credo religioſiùs ſervaturum; eadem enim ſcelera, quæ aliquem, malus ut filius ſit, efficiunt, facient etiam ut malus ſit maritus, malus pater, civis malus.

XII. Quale itaque eſt officium id, quod parentibus debemus, et quo more eo fungendum eſt? Hoc profectò ex rebus variis pendet. Habenda eſt ratio loci, temporis, facultatum. An morbis atque ægritudine laborat pater? reſpice eum, qui morbos, ægritudinemque tuam ſanavit, cùm tibi à te nihil erat auxilii.

An egestate mater opprimitur? reminiscere illius, cujus ubera duxisti. At si hoc non fit, si nihil à nobis exigunt, nisi ut amicitiam amicitiâ, et amorem amore rependamus; senectutem eorum colere, curas lenire, dolores mitigare, votis prævenire, id filii cujusque est officium: quod qui negligunt, iis S. Paulus locum dat inter * *oppletos omni injustitiâ, malitiâ, fœrtatione, improbitate, avaritiâ*; inter *plenos invidiâ, cæde, contentione, dolo, malignitate*; inter *susurrones, oblocutores, Dei osores, injuriosos, superbos, glorioſos, inventores malorum*; inter *fœdifragos denique, desipientes, charitatis expertes, implacabiles, immisericordes.*

XIII. Nec leve illorum est peccatum, qui rem patris, eo vivo, distrahunt, atque dilapidant. Is ferè parentis est amor, ut ne quid filio desit, multa sibi ipse deneget. Vivit aliquando à sociis amotus, sordidus, atque sordidatus, ut inter cœtus hominum splendeat, et triumphet filius; quidvis sibi satis putat, si modò ad voluptates explendas, et juventutem feliciter agendam, illi sufficiat. At verò nequissimus est ille, qui, parentis oblitus, in sumptus se nimios præcipitat, et ære alieno laborans, ad paupertatem eum, saltem ad rem ita contractam deducit, ut ea, quibus

* Rom. i. 29.

senectus

ſenectus indigeat, ſibi nequeat indulgere, ne in carcere, et tenebris animam ſuam expiret is, quem genuit.

XIV. Quid, quòd officium hoc ab ipſo Jeſu nobis commendatum habemus: ille enim moriens, inter acerbiſſimos cruciatus, ei, quem amavit, diſcipulo, matrem ſuam tradere non oblitus eſt; dixit enim illi, * *Mulier, en filium tuum!* et diſcipulo item dixit, *En matrem tuam!*

XV. Non pigebit verba ſapientiſſimi iſtius, quiſquis fuerit, Sirachi filii proferre. † *Auxiliare, mî fili, patri tuo ſeneſcenti, nec dolore eum afficias, quamdiu vivat. Quòd ſi mentis facultates deficiant, feras eum patienter, nec contemnas, quia plenis viribus ipſe potiaris. Non enim irritum erit, ſi patri opituleris; memoriâ autem habebitur eo die quo luctu opprimeris; velut æſtivo ſole glacies, ita eliqueſcent peccata tua.*

* S. Joan. xix. 26. † Eccleſ. iii. 12.

CAP. XIII.

De Homicidio.

I. *Duobus modis homicidium fit.* II. *Plurimæ homicidiorum causæ.* III. *Qui alium in vitæ suæ discrimen urget, insons non est.* IV. *Nec qui rixantes ad cædem provocat.* V, VI. *Deo invisissimum esse hoc peccatum probatur.* VII. *Homicida quod Dei est sibi vindicat.* VIII. *Pœna huic crimini adjuncta.* IX. ad finem. *Historia de Nabothi vineâ.*

I. SUmmum injustitiæ genus est, alteri vitam suam eripere. Hoc duobus modis fit, vel vi, vel fraude. Aut enim palam aliquis occiditur, gladio, vel fuste, vel mortifero aliquo telo; aut clàm, veneno, dolo, falsis delationibus.

II. Exoritur ferè secretum hoc homicidii genus, aut ex inveteratâ malitiâ, ut cùm odii explendi causâ in vitam alterius invehimur; aut ex avaritiâ, ut cùm, sublato clàm possessore, hæreditatem capessit perditus aliquis, et discinctus nepos; aut interdum ex pudore, ut cùm infantulos suos perimit mater crudelis, ne sibi sint opprobrio.

§ III. Nec

III. Nec ſi aliquem incitamus ad ea facienda, unde vitæ ſuæ ſpatium in arctius contrahatur, ipſi inſontes evadimus. Qui nimio vino invitum immergit, ſi potus iſte aliquid ſceleris faciat, in cauſâ ipſe eſt ut is peccet; ſi quid iſte inde patiatur, ſi morbo correptus è vitâ decedat, in cauſâ eſt, ut moriatur. Nec, humanis legibus abſolutum, à Deo impunitum fore credibile eſt.

IV. Eſt et alia, nec infrequens ratio, unde homines, criminis hujus, de quo loquimur, non inſontes ſunt. Eos volo, qui alios ad iram, et ultionem irritant, qui querelas fovent, et ad cædem rixantes alliciunt: hi non modò Chriſti præcepto repugnant, qui ſuos eſſe pacificos juſſit, ſed homicidæ ſunt, et ſicarii.

V. Quàm turpe, quàm Deo inviſum ſit hoc peccatum, nemo eſt qui ignorat. * Hebelis interfecti ſanguis Deum etiam è terrâ inclamavit. Imò † ipſa terra, in quâ cædes aliqua committitur, maculata et contaminata eſt; nec eluitur iſta labes, niſi homicidæ ſanguine. Et licet urbes, aræque inſtitutæ eſſent, ad quas confugeret ille, qui alium invitus occiderat; qui ‡ tamen prudens ſciensque hoc feciſſet, ab ipſius altaris amplexibus ereptus, tortoribus necandus tradebatur.

* Gen. iv. 10. † Deut. xix. 12, 13. ‡ Exod. xxi. 14.

VI. Quid,

VI. Quid, quòd sola duo præcepta, quæ Noacho hoſt diluvium data erant, ad hoc præcipuè ſpectabant: quorum unum à ſanguine edendo homines cohibuit, ut inde ſcilicet nunquam cædi aſſueſcerent: alterum pœnam delinquenti conſtituit: * *Qui effundit ſanguinem hominis, per hominem illius ſanguis effunditor.* Quibus verbis protinus ſubjicitur, *Quoniam ad imaginem ſuam hominem fecit Deus.* Eſt igitur hoc peccatum non modò, ut antè dictum eſt, ſumma erga hominem injuſtitia, ſed erga Deum ſumma arrogantia. Quid enim eſt aliud, niſi imaginem Dei, ab ipſo homini impreſſam, fœdare atque delere?

VII. Aliquem inſuper occidere, quid eſt aliud, niſi in Dei Optimi Maximi potentiam, et jus invadere? Hominum enim vitas ordinare, eripere, aut prorogare, ejus eſt, qui primùm eas hominibus donavit. Qui verò cædem alicui machinatur, ſibi arrogat à Deo ereptum in vitas hominum imperium, quod omnium eſt nefaſtiſſimum; quodque etiam ad *ſui cædem* referatur, ſcelus, ſi quod aliud, audaciſſimum.

VIII. Utque peccatum hoc flagitioſiſſimum eſt, ita pœna nequaquam levis ei debetur. In ſacrâ hiſtoriâ multa paſſim exempla legimus.

* Gen. ix. 6.

eorum,

eorum, quorum, contra omnium ſpem, ſcelus et crudelitatem pari ſupplicio compreſſit Deus; nec deſunt apud profanos ſcriptores exempla hujuſmodi quàm plurima; quæ ſi referre aggrediar, tam crebrò occurrunt, ut legenti tœdium pariam. Libet verò ea, quæ de Ahabo, Samariæ rege, et crudeli ejus uxore, Dei vindictam in homicidas teſtantia, memorantur, vobis breviter proponere.

IX. Erat Nabotho vinea, Ahabi, Samariæ regis, aulæ contermina. *Dixit itaque Ahabus Nabotho*: 'Vineam tuam velim mihi des, ut herbifera mihi ſit; aliam tibi fertiliorem tradam; aut, ſi mavis, quanti ſit, tibi rependam: eſt enim aulæ meæ contermina.' Dixit autem Nabothus; 'Abſit ut paternam hæreditatem tibi addicam.'*

Afflictum et iratum Ahabum accedit uxor Jeſebela. 'Cur,' inquit, 'adeò contriſtaris, et à victu abhorres?' 'Quia vinea Nabothi,' inquit, 'nec nummis mihi, nec agris emenda eſt.' Illa autem, animi ferocis et intemperantis, mulier, 'Tune,' ait, 'Iſraëlitarum es rex? Surge, veſcere, lætare; vineam Nabothi ipſa tibi tradam.'

Scripſit itaque literas Ahabi nomine, et ſigillo regio obſignatas. *'Jejunium indicite; Nabothum proferte; quin duo homines te-*

* 1 Reg. xxi. 2.

'ſtimonio

'stimonio jurati affirment, in Deum, et in 'regem maledicta eum, et opprobria effudisse; 'rapite eum, ex urbe educite, lapidibus obrutum 'cædite.'

Quod cùm factum est, 'Surge,' inquit Ahabo, 'vineam Nabothi tibi arripe, quam pretio non 'vendidit. Fuit enim Nabothus.'

Ingredienti autem vineam Ahabo occurrit Elias, propheta à Deo missus. 'An occidisti,' inquit, 'Nabothum, et hæreditatem ejus invasisti? At 'scito, inultum hoc Deum non passurum. Quo e- 'nim loco lambebant catuli Nabothi sanguinem, 'ibi etiam tuum lambent.'

Quod semel constituit Deus, id profectò nunquam est irritum.—Occisus paulò pòst Ahabus, omnia ea passus est, quæ prædixerat Elias. Nec marito suo diu superstes erat scelerum hortatrix et particeps, Jesebela; è fenestrâ dejecta in viam, contrita & conculcata est; et Nabothi prope vineam, sicut antè Ahabi, Jesebelæ quoque cadaver, canes vorârunt.

CAP.

CAP. XIV.

De Mendaciis.

I. *Mendaciis tollitur uſus loquendi.* II. *Mentiri vetantur Chriſtiani.* III. *Quot mendaciorum genera ſint.* IV. *Mentiuntur homines ſpecie quâdam religionis ducti*; V. *aut malo animo, ut aliis noceant*; VI. *aut ut ſibi benefaciant*; VII. *aut ex arrogantiâ, ut magnifici habeantur*; VIII. *aut è timore, ut celent ea quæ pravè commiſerint*; IX. *aut ex animi levitate.* X. *Mendaces et Deo, et hominibus inviſi ſunt.*

I. CUM inter plurima, reliquis animalibus negata, hoc hominibus conceſſum eſt, ut voces, ſenſuſque ſuos dicendo notent, et ita colloquia inter ſe ineant; indigniſſimus profectò eſt is, qui hoc munere abutitur. Veri imaginem exprimere verba oportet: qui verò aliud dicit, aliud cogitat; aut qui ea facta fuiſſe affirmat, quæ facta non ſunt, detorquet in perniciem hominum id, quod in communem utilitatem datum eſt, Deique beneficiis it obviàm. Quòd ſi plurimi idem facerent, periret illico verborum uſus; et melius eſſet ſilentio ævum tranſigere, velut mutæ

pecudes, quàm fallere, et falli. Si fides humanæ ſocietatis tollatur, quid eſt, cur non in agris, iterum diſperſi, vagentur? Sileant hiſtoricorum annales, ſi nihil niſi portenta et prodigioſa enarrant; ſileat in æternum humana vox, niſi cauſæ veritatis inſerviat.

II. Quin etiam verbis diſertiſſimis monemur Chriſtiani, ne mentientes nos invicem fallamus. * *Depoſito mendacio,* inquit S. Paulus, *loquimini veritatem quiſque proximo ſuo:* et ibidem, † *Ne mentimini alius adverſus alium.*

III. Inter varia mendaciorum genera, pauca quædam eligam, quæ vobis evitanda proponam. Mentiuntur enim homines,

1. Specie quâdam religionis ducti, ut ad bonos exitus propoſita ſua perducant.

2. Malo animo, ut aliis noceant.

3. Ut ſibi benefaciant.

4. Ex arrogantiâ, ut magnifici habeantur.

5. E timore, ut celent ea, quæ pravè commiſerint.

6. Ex animi levitate.

IV. 1. Primum genus eſt eorum, qui, *ſpecie quâdam religionis ducti, mentiuntur.* Quid enim? an religio uſque adeò per ſe debilis et infirma eſt, ut tali auxilio, talibus defenſoribus indigeat? annon vera piæ vitæ præmia

* Epheſ. iv. 25. † Coloſſ. iii. 9.

ſatis

ſatis homines incitent, niſi fucato quodam colore commendentur, et falſis inſignibus decorentur? Ad virtutem recta, et ſimplex eſt ſemita; quòd ſi quis per ambages, et circuitus, ad eam te ducere conetur, totâ errat viâ. Et ſi quis affirmet, licere malè facere, ut majus inde bonum aſſequaris, quot exinde oriantur incommoditates, nemo eſt qui non videat. Hinc ſub ſpecie religionis latuerunt fraudes, injuriæ, rapinæ, cædes; hinc denique per totum terrarum orbem ſcelera flagitioſiſſima graſſata ſunt. Vitii autem parens eſſe virtus non poteſt; neque religio ea vera, et incorrupta eſt, quæ mendaciis, et erroribus ſuſtentari poſcit.

V. 2. Secundum genus eſt eorum, qui *malo animo mentiuntur, ut aliis noceant.* Si ii veniâ carent, qui delicta aliena augent, proferunt, et in vulgum ſpargunt, nec humanis erroribus ignoſcunt; quid de iis dicendum eſt, qui ea, quæ non inveniunt, peccata confingunt? Si ille, qui pecus aut rem alicui injuſtè ſurripit, capite ſupplicium luit; quam pœnam ille meretur, qui famam ei et exiſtimationem, et re et vitâ chariorem, falſis mendaciis vulnerat? Utcunque leges humanas interdum effugiat latronum iſte peſſimus, pœna tamen, licet claudis pedibus adveniat, antecedentem non

deseret. Patri enim mendaciorum se servum addixit, * *qui circumvagatur, quærens quos perdat.*

VI. Tertium genus est eorum, qui, *ut sibi benefaciant*, nihil salsi dicere non audent. Cum istiusmodi hominibus non agitur, nisi maximo periculo; parum enim curant, quibus infortuniis alios demergant, si ipsi inde ditiores evadant. Si igitur tibi se aliquid facturos polliceantur, ne credas; si quid accidisse affirment, ne fidem iis habeas. Fallere enim et decipere docti, adeò mentiri consueti sunt, ut id unicum putent, utrùm quod dicant, sibi sit profuturum, parum soliciti, utrùm verum sit, necne. Quicunque igitur avaritiâ correpti nihil aliud laborant, nisi ut divitias sibi undequaque corradant, eos veritati non nimis studere pro certo habeas; per fas, nefasque ruere non metuunt; nec à latrocinio, et cæde abstinent, quòd divinis legibus obtemperant, sed quòd reformidant humanas.

VII. 4. Sunt etiam qui, *ut magnifici habeantur*, vanos se et mendaces præstant. Horum hominum genus est insulsissimum: non enim vindictæ, non lucri causâ mentiuntur; sed ut re, aut genere, aut doctrinâ, quàm sunt, majores habeantur. Hinc non modò menda-

* 1 Pet. v. 8.

cissimi

ciſſimi fiunt, ſed ſæpe ſe in graviſſimas calamitates trahunt, et ex damnoſis voluptatibus ære alieno laborantes, ſerò denique plorant, ſe et dotibus, et fortunis ſuis non contentos, in has anguſtias incidiſſe. Quoſdam generis ſplendor perſtringit; et nihil aliud laude dignum exiſtimantes, quàm à principibus naſci, quaſi claros et ingenuos parentes habuerint, magnificè ſe efferentes, fallunt quidem ignotos, at notis deriſui ſunt. Alii videntes, tantum eſſe cuique fidei, quantum pecuniæ, dites ſe haberi volunt, et ſumptibus quotidianis, vaniſque ſermonibus, paucos forſan decipiunt, ſed à plurimis irridentur, et contemnuntur. At verò doctrinæ latius in homines eſt imperium; et nemo ferè eſt, qui non ſe literis imbutum haberi cupit. Mirum eſt, quot inde exoriantur mendacia! ut homines, literarum omnium penitus rudes, de rebus ſublimibus magnificè loquantur! quot libros ſe legiſſe affirment, de quibus nihil unquam audiverint! quot cum doctis neceſſitudinem habere, quos nunquam viderint! Neſcio annon omnium mendacium hi inſulſiſſimi ſint: nullos enim, niſi ſeipſis indoctiores decipere poſſunt; omnibus verè literatis ludibrium exhibituri.

VIII. Maximus autem eorum eſt numerus, qui idcirco mentiuntur, *ut celent ea quæ pravè commiſerint.*

commiserint. Cùm pœnæ præsentis timor tantum in homines imperium exerceat, non adeò mirum est, omnibus modis velle eos illam effugere. Hinc cædis, latrocinii, rapinæ, sibi conscius, rarò id, quod fecerit, confitetur; probè enim callet, à morte se vindicare non posse, nisi quod commiserit, commisisse se neget. Sperat itaque mendacium posse se pœnitentiâ eluere; vitam autem ereptam novit se nunquam recuperaturum. At in tenuioribus quoque delictis, et supplicii levioris timore, mentiri nefas: animi enim servilis est dolorem magis timere, quàm veritatem amare; et potiùs quàm pauca quædam verbera subire, vanum et mendacem ultrò haberi.

IX. 6. Postremum genus est eorum, qui, nescio quâ animi levitate, inanes quasdam fabulas contexunt, et ea extitisse affirmant, quæ nunquam extiterint; ea se vidisse, quæ nunquam viderint; ea dixisse, quæ nunquam dixerint. Hâc plerumque stultitiâ correpti sunt ii, qui, longè peregrinati, eò plùs se mirandos fore putant, quò plùs miranda affirmant; et ex incredibilibus sibi fidem volunt adstruere. Ii verò, quos in exteras regiones impulit aut amor novitatis, aut lucri cupido, nequaquam soli sunt, qui hanc mentiendi facultatem sibi vindicant. Plurimi sunt, domi enutriti, qui à focis et Laribus suis nunquam

quam emigrârunt, quibus in hoc genere facilè primæ concedendæ ſunt; nec futilia hæc mendacia ubivis uberius florere credo, quàm inter colloquia, et commercia urbanorum et feſtivorum hominum, quibus nihil aliud eſt negotii, quam novum aliquod mendacium fingendo, ſermonem elangueſcentem reſuſcitare.

X. Sciant autem mendaces, quàcunque de cauſâ à vero ſe abſtrahant, Deo Optimo Maximo, qui ipſe eſt veriſſimus, ingratiſſimum eſſe mendacium; nec leve fore eorum ſupplicium, qui aliud dixerint, aliud fecerint. Sciant inſuper, ſe hominibus inviſos et contemptos eſſe: quis enim bonorum omnium juſtiore indignatione excipitur, quàm ille, cujus ex ore mendacia adeò profluunt, ut nulla ei fides adhibenda ſit; quique tot machinatur, tot comminiſcitur, ut cum eo vel colloqui periculoſiſſimum ſit?

De Officiis Chriſtiani Hominis erga Seipſum.

CAP. XV.

De ſubjugandis Corporis Libidinibus.

I. *Affectuum impetu juvenes corripi.* II. *Fallere ſe homines in hoc vitio.* III, IV. *Contra adulterium,* V. *et omnia libidinis genera.* VI. *Scorti deſcriptio, ex Solomonis proverbiis ſumpta.* VII. *Mala in hâc vitâ libidinoſos ſequi.* VIII. *A cogitatis impuris abſtinendum,* IX. *et verbis.* X. ad finem. *Quæ ad vitandum hoc ſcelus præcipuè ſpectent.*

I. DE reprimendis voluptatibus, et libidinibus ſubjugandis, pauca ut dicam, neceſſe habeo: eo enim affectuum impetu juvenes ſæpiſſimè corripiuntur, ut priùs in mala præcipites corruant, quàm rationi, fruſtrà reclamanti, auſcultent.

II. Scio in hoc vitio plurimos ſe fallere ſolitos, vanis, ſpecioſiſque argumentis, quibus fidem adſtruunt animi præjudicatæ libidines.

'Cur enim,' inquiunt, 'cupiditates, appeti-
'tuſque menti humanæ inſeruit Deus, quibus
'indulgere non licitum? * *Cur legem in mem-*
'*bris habemus, præliantem contra legem animo-*
'*rum, noſque ultrò in peccata trahentem?* Cur
'viſâ pulchritudine corripiuntur oculi, incen-
'duntur affectus, ſi motibus iſtis obſequi ne-
'fas?' Quibus reſpondeo, 'In tentatione ex-
'ſuperandâ ſpectari hominum erga Deum obe-
'dientiam; nec poſſe bonos fieri, ſi et malis
'eſſe non liceat.' Reſpondeo inſuper, 'Ra-
'tionem homini à Deo datam eſſe, quæ motus
'animi, extra terminum vagantes, comprime-
'ret; quæ ab excogitatâ nequitiâ eum revo-
'caret; quæ affectibus imperaret.' Reſpon-
deo denique, 'Chriſtiani hominis officio ea
'omnia repugnare, quæ à Chriſto vetantur.'
† *An neſcitis corpora veſtra Chriſti eſſe membra?*
an igitur faciam, ut Chriſti membra fiant membra
meretricis? Vetet Deus.

III. Huic officio præcipuè, et præ aliis ad-verſatur, cui cum uxore alienâ commercium eſt illicitum. Non enim ſimplici peccato la-borat; nec ſolùm contra illas leges peccat, quæ à Chriſto de caſtimoniâ latæ ſunt; non ſolùm ea omnia violat, quæ de matrimonii ſanctiſſimo fœdere idem præcepit: ſed huma-

* Rom. vii. 13. † 1 Cor. vi. 15.

næ societatis vincula omnia perrumpit, ipsamque justitiam penitus subvertit. Si enim injustus sit ille, qui in possessiones alienas invadit, quâ pœnâ dignus est is, qui id, quod charissimum est, alii eripit, injuriamque infert, neque divitiis, neque gratiâ, neque ipsâ denique pœnitentiâ, reparandam.

IV. Piget profectò enarrare, quot ex hoc scelere mala exoriantur. Non certi liberi, non certi parentes; omnia promiscua, et tumultuosa; nec inter omnia peccata majus esse existimo, quo tollitur simul et humanæ societatis fides, et erga Deum reverentia! * *Adulteros enim judicabit Deus.* Et licet Judaicâ lege provisum est, ut fur † quadruplum restitueret, nulla ab adultero exigenda erat restitutio, quin funditus periret. Et fœdissimo huic flagitio adeò se inimicissimum declaravit Christus, ut dixerit, ‡ *Quicunque ita aspicit fœminam, ut eam concupiscat, jam cum eâ in corde suo commisit adulterium.*

V. Nec levę delictum illorum est, qui membra sua quovis modo libidinibus addicunt, corpusque, animi immortalis capax, fœdè prostituunt. Impuris manibus aram adire, etiam apud Paganos nefas erat; impuris oculis Deum aspicere, nemini datum.

* Heb. xiii. 14. † Lev. xx. 10. ‡ S. Mat. v. 28.

VI. Non

VI. Non hîc pigebit verba proferre, ex omnibus hominibus, quotquot unquam extiterunt, ſapientiſſimi. * *De feneſtrâ in viam deſpexi; ibi vidi juvenem, conſilii expertem, ſub veſperum, nocte jam adventante. Et ecce! occurrit ei mulier, veſtitu molli; ſtatimque amplexa, 'Age,' inquit, 'tibi lectum ſtravi; tibi tapetibus, tibi operibus 'textilibus, tibi byſſo ex Ægypto decoravi: tibi 'myrrhâ, balſamo, thure, ſuffivi. Age, uſque ad 'delicias amore diſſolvamur ad novam lucem.' Ecce illam inſequitur, velut ad cædem bos, aut ad patibulum ſtultus. Feſtinat, ut volucris ad laqueum, nec ſcit vitæ ſuæ inſtare periculum, donec jecur transfigat ſagitta. Audite itaque, ô juvenes, et loquentis verba accipite; ne corda veſtra in illam propenſa ſint, neve in viis ejus errate; multos enim vulneratos dejecit; imo ab eâ multi fortes confoſſi ſunt: domus ejus eſt ſemita ad orcum; perque eam itur ad mortis penetralia.*

VII. Quid verò ea mala memorem quæ etiam in hâc vitâ illos comitantur, qui, de quo loquor, ſcelere, inquinant ſe, atque contaminant? Hinc morbi impuriſſimi; carnis, atque oſſium putredo fœdiſſima; dolores acerrimi; juventus inhonorata; ſenectus præmatura; hinc ſæpe in medio ſceleris curſu feſtinata

* Prov. vii. 6, &c.

mors, inter virorum risus effusissimos, fœminarumque dignissimum odium, atque contemptum.

VIII. Nec verò à factis solùm impuris abstinendum est, sed à cogitatis etiam. Ne in mentem aliquando se intrudant ea, de quibus nefas est meditari, nemo ferè est qui prohibeat; sed cùm ultrò ea arcessimus, cùm fovemus, cùm amplectimur, cùm iis libenter immoramur, tum denique excogitata scelera nobis imputantur, et factorum crimen habent.

IX. Linguam quoque coërcere, neque aliquid ex ore nostro projicere, quod non purum, et castum sit, id demum cujusque est officium. Contra bonos mores peccat, qui turpia dictu blaterat; nec minùs Christi præceptis repugnat, qui linguæ frœnum injicere suos jussit, dixitque, * *Ex abundantiâ cordis os loqui.*

X. Pauca quædam subjicere non alienum erit, quæ ad vitandum hoc scelus spectare præcipuè arbitror.

XI. Primum itaque, mali principiis obstemus; primos libidinis motus, utpote et viris, et Christianis indignos, ex animis liberâ indignatione projiciamus. Si semel vitio locum

* S. Matt. xii. 34.

demus, furtim nobis irrepit, et magìs magìsque incautis affluit, donec paulatim omnia sibi subjecerit, et ex animo rationem penitus expulerit.

XII. Cavendum est insuper, ne mentes otio, atque ignaviâ, torpere sinamus. Agro inculto silix innascitur, et animo desidioso radices agit scelus. At verò vel studiis occupato, vel lusu aliquo innocuo, pravæ libidines obrepere non possunt.

XIII. Nec fas præterita scelera cum voluptate recordari: qui ita facit, virtutis se contemptorem planè ostendit, atque idem peccatum centies peccat.

XIV. Abstinendum etiam ab iis, qui nihil serium, aut sublime sapientes, levi, atque obscœno sermone, sopitos affectuum æstus resuscitare conantur, omnesque, quibuscum versantur, in sceleris sui societatem allicere.

XV. Orandum est denique, ut Deus Optimus Maximus opem suam, atque gratiam omnibus temporibus elargiatur, præsertim cùm eâ nobis plurimum opus sit. Ea unica est, quæ aut induci nos in tentationem prohibeat, aut inductos à malo liberet.

CAP.

CAP. XVI.

De Intemperantiâ in Cibo et Potu.

I. *Abutuntur intemperantes Dei donis.* II. *Frequentior in potu quàm in cibo intemperantia.* III. *Tria argumenta, quæ homines ab intemperantiâ deterreant.* IV. 1. *Ebrietatem rationem è mente expellere.* V. 2. *Morborum et mortis immaturæ causam esse.* VI. 3. *A Christo vetitam esse.*

I. UT cæteris Dei donis, ita illis, quæ ad vitam sustinendam data sunt, abutimur. Cùm necesse erat, ut corpora nostra, labore trita, et imminuta, cibo reficerentur; non terram sterilem, et infructuosam nobis dedit rerum omnium creator; sed agros frugibus, mare piscibus, alitibus aëra complevit; quæ omnia hominum usui inservirent, et languentes, exhaustosque recrearent. Quid autem? an ea tantùm quærimus, quæ natura exposcit? nonne inamarescunt epulæ saluberrimæ, nisi exquisitissimè conditæ? nonne helluones videmus usque ad fastidium fercula varia devorantes, seque cibo, ut ita dicam, ingurgitantes? Hoc qui facit, quid aliud agit, nisi optimis Dei donis abutitur; quæque in salutem

ſalutem ſuam data ſunt, ea ipſe in perniciem convertit?

II. Hoc verò vitium, cibi ſcilicet intemperantia, nec tam frequens, nec tam periculoſum eſt, quàm bibendi furor iſte, unde ebrietas oritur. Ineſt, ut aliqui putant, jucunditas quædam in comeſſantium conviviis, nec unquam tam felices ſunt, quàm exutâ ratione. Cantare, exclamare, furere, bacchari, id profectò inter eos ſapere exiſtimatur; quaſi quò propiùs ad beſtias accedant, eò et feliciores et ſapientiores ſint.

III. Tria ſunt, quæ breviter attingam, quibus ab hoc vitio vos deterream.

1. Ebrietatem paulatim rationem è mente expellere, atque adeò ſcelerum omnium eſſe originem.

2. Morborum plurimorum, et mortis immaturæ cauſam eſſe.

3. A Chriſto vetitam eſſe.

IV. 1. Ebrietatem è mente rationem expellere, ebrios modò viderit, nemo eſt qui dubitet. At non hoc ſolùm inter pocula, atque in ipſis conviviis fit; quicunque enim hoc vitium ſibi frequenter indulget, animum hebetat, ingenium obtundit, auræque divinam iſtam particulam humi adfigit. Ratione expulſâ, ſenſuque religionis amoto, quæ immanitas, quæ feritas, quæ dementia non illico

exoritur? Hinc jurgia, vulnera, homicidia; hinc profectò malorum genus omne enatum est. Qui, quicquid sacrum est, inter pocula contemnere, Deoque ipsi maledicere, elati, et magnifici animi esse credit; vereor ut et sobrium, si modò sobrius unquam fit, sceleris eum sui pœniteat. Nec si quid legibus contrarium ebrius commiserit, si hominem, (id quod sæpe accidit), aut vulneraverit, aut occiderit, satis est dixisse, 'Imprudens pec-'cavi, nec quid egerim, scivi;' rapitur in pœnam et supplicium; nec immeritò; qui unum scelus diluere credat, fatendo se alii deditum.

V. 2. Nec argumentis opus est, ut ebrietatem morborum plurimorum, atque adeò mortis immaturæ causam esse, probem. Circumspicite genus humanum; videte eos, qui cibo ad famem, potu ad sitim propellendam usi sunt; qui nihil immoderatum, nihil intemperatum cupientes, epulas suas non voluptate, sed desiderio naturali finierunt. Valent corpora; vigent artus; vires solidæ, et integræ sunt; et si (quod ferè accidit) ad senectutem accedant, mala tamen senectutis nec plorant, nec sentiunt. Utque corpora, ita et animi, firmi, et robusti, sunt; præscripta ad munia vegeti surgunt; somnoque fruuntur puro, nec interrupto. Qui verò natos sed ad

nihil

nihil aliud præter edendum et potandum credunt, quo cruciatu non vexantur? quibus morbis non laborant? Quam plurimos videmus, ipso in juventutis flore, quasi ægram et languidam senectutem trahentes! Si quæ a dolore vacat hora, eam conviviis impendunt; a conviviis remoti, dolore iterum excruciantur. Brevem vitam miserrime trahunt, mortem propinquam modo execrantes, modo timentes; quam cum diutius differre non licet, horrore correpti moriuntur, invisi et contempti ab ipsis sceleris sui sociis, qui tamen cito sequentur, spectaculum idem triste exhibituri.

VI. 3. Jam verò intemperantiam hanc a Christo vetitam esse, nemo est, qui dubitet, qui modo sacris literis vel minimè sit imbutus. Servus ille malus cui cum hypocritis assignatur locus * *inter fletus, dentiumque stridorem, verberare conservos suos* dicitur, *quinetiam edere, et bibere, cum ebriis.* † Ephesios hortatur Paulus, *Ne vino inebrientur:* quin et ebrietatem inter pessima enumerat, ‡ *invidiam, cædem, comessationes, et his similia.*

VII. Cavendum itaque, præcipuè in juventute, ut ab hoc vitio quàm procul abstineamus. Ad sitim satiandam data sunt poculenta, et ad corpus recreandum; quicquid

* Matt. xxiv. 48, &c. † Eph. v. 18. ‡ Gal. v. 21.

ultrà eſt, id profectò ſcelus eſt. Multi ſibi licere credunt, feſtis quibuſdam diebus, ultra præſcriptos fines paulò evagari; at quàm turpiſſimum eſt, non poſſe lætari, niſi exutâ ratione. Alii dicunt, ſe, licet aliquando liberiùs epulentur, nunquam virtuti, aut rationi adverſari: At periculoſiſſimum eſt præcipitio inambulare, unde ſi decidas, caſus erit graviſſimus. Fabuloſis illis Circes poculis ſimilia ſunt vina, quæ ſi ſemel cupidè guſtes, vix fieri poſſit, quin illis te proluas. Hujuſce igitur vitii principiis obſtes; creſcit enim in dies amor iſte, et intemperata bibendi libido, donec ſordeant omnia, et nauſeam pariant, quæ non vino condiantur.

VIII. Utque ab hoc, ita profectò ab omni ſcelere, in ipſo limine abſiſtendum eſt. Hactenus ſe, nec longius evagaturum, quis eſt, qui ſibi promittat? Nemo fuit repentè turpiſſimus; à ſcelere ad ſcelus itur; nec tutum ſe eſſe aliquis confidat, qui à virtutis viâ vel minimè declinaverit. Omnis enim ab iſtâ aberratio, plena fraudis eſt, plena periculi.

FINIS.